

# THE STORY OF ROBINSON CRUSOE IN LATIN

A  
A  
0  
0  
0  
3  
6  
7  
9  
9  
8  
2



G. F. GOFFEAUX

P. A. PANETTI


UNIVERSITY OF CALIFORNIA  
LOS ANGELES



GIFT OF  
U.C. Library

Monroe E. Deutsch.

November 9, 1909.



THE STORY OF ROBINSON CRUSOE  
IN LATIN

BY P. A. BARNETT, M.A.

COMMON SENSE IN EDUCATION AND TEACHING. 5th Edition. Crown 8vo, 6s.

TEACHING AND ORGANISATION. With Special Reference to Secondary Schools. A Manual of Practice. Essays by Various Writers. Edited by P. A. BARNETT. Crown 8vo, 6s. 6d.

NATAL: THE STATE AND THE CITIZEN. Crown 8vo, 2s.

THE LITTLE BOOK OF HEALTH AND COURTESY. For Boys and Girls. Fcp. Svo, sewed, 3*l*. Special Edition, bound in rexine, 1*s*. net.

---

LONGMANS, GREEN, AND CO.,  
LONDON, NEW YORK, BOMBAY, AND CALCUTTA.

# THE STORY OF ROBINSON CRUSOE IN LATIN

ADAPTED FROM DANIEL DEFOE'S FAMOUS BOOK BY  
G. F. GOFFE AUX

EDITED, AMENDED, AND REARRANGED BY  
P. A. BARNETT, M.A.  
LATE SCHOLAR OF TRINITY COLLEGE, OXFORD

LONGMANS, GREEN, AND CO.  
39 PATERNOSTER ROW, LONDON  
NEW YORK, BOMBAY, AND CALCUTTA

1907

Gift-Provost Monroe E. Beutlich

PR  
340<sup>2</sup>  
L. 1

TO

RUDYARD KIPLING

Digitized by the Internet Archive  
in 2008 with funding from  
Microsoft Corporation

<http://www.archive.org/details/storyofrobinsonc00goff>

## EPISTLE DEDICATORY AND EXPLANATORY

**DEAR KIPLING,**

*The body, if not the soul, of this little book is due to the labours of an intelligent Frenchman who discovered sixty or seventy years ago that the degenerate practice of introducing young people to the Latin language by means of Caesar, Cicero, and Vergil failed to engage their interest. The fact has since been rediscovered by persons so eminent, and has been proclaimed with such energy and unaffected ingenuousness, that I do not mind confessing that I have myself long had something more than a suspicion of it.*

Goffeaux thought it worth while to write some of the adventures of Robinson Crusoe in Latin, in order that boys who already knew something of the original enchanting history might realise that it was possible to express in that language matters about which a reasonable being might reasonably be interested. His book had considerable vogue; and after four or five editions had been printed in France, it was printed and reprinted in this country, with English notes.

When a copy of Goffeaux's book came into my way through the kind offices of a friend, I wondered whether it could have exhausted its usefulness in our grandfathers' time; whether our children might not get some profit out of it. My Frenchman has, in my hands, been cut down a good deal; his Latin has been mended; not less than half of his moral sentiments have been suppressed; and the result is now offered to the boys and girls of England for what it is worth.

You are in the direct line of great story-tellers, of whom Defoe was the greatest in his day; and I have placed your name in front of my wares because I desire above all things to commend, and make easier to young people, the reading of Latin as literature. I do not call my Goffeaux by that sacred name; but a healthy boy who is piqued into

---

following Crusoe through a language which Cicero and Cæsar and Vergil (in spite of their imperfect education), would have understood, will the more readily believe that they themselves are better worth reading. And he will assuredly read them the more easily after reading Goffeaux.

I might have begged, I dare say in vain, for the patronage of the professed scholar. I should like to have it; but I am more concerned to secure yours because whereas Latin literature will not live as an interest of youth—or of old age, for that matter—by reason of its philological or rhetorical or scientific interest, it will live because people love it.

It is unfortunate that Cæsar and Vergil and Cicero neglected to write Latin books for the use of English children. Yet, if we are to present such things in any form which young English people will willingly accept, we must temper the forbidding but necessary Grammar that hedges round the great masterpieces of those great writers with something not quite so austere, at all events superficially. Such fine scholars as Professor Sonnenschein and Mr. Godley have, indeed, led the way—I do not know how people ever got on without “*The New Orbilius*” and “*Ora Maritima*”—and I plead that, after them, Goffeaux may have his chance.

It is true that his style is not classical, nor could all the botching of an even learned editor make it so. It lacks periodic consecutiveness; its constructions are mostly the simple ordinary constructions; it does not affect the delicate shades that make native Latin so subtle an instrument of logic and narrative. But for these very reasons it is better fitted for the purpose proposed. And, at any rate, it contains a large vocabulary (a few words, to be sure, invented), which the intelligent boy and girl can pick up as they go along. They can avoid the “more flagrant forms of guessing,” against which an eminent friend of your own was solemnly warned, by an occasional use of the dictionary and a glance at the few appended notes.

I hope you will not think this an insufficient apology for my doubly presumptuous effort and dedication.

*Very truly yours*

*P. A. BARNETT*

*1st December, 1906*

# CONTENTS

## CAPUT PRIMUM

	PAGE
Crusoëi ortus, indoles, educatio—Cupido peregrinandi—Discessus a parentibus—Profectio <i>Londinium</i> —Infanta initia—Tem- pestas—Navis obruta fluctibus—Advenit <i>Londinium</i> , unde solvit ad Guineam . . . . .	1

## CAPUT SECUNDUM

Crusoëus pergit iter—Mala omnia—Navis incensa—Advehitur ad Canarias insulas—Inde profectus ad Americam nau- fragium facit . . . . .	6
---	---

## CAPUT TERTIUM

Sera Crusoëi pœnitentia—Desperatio—Vitam misere sustentat— In splenunca habitat . . . . .	11
--	----

## CAPUT QUARTUM

Reperit poma eximiae magnitudinis—Sibi conficit varia instru- menta—Funiculos—Stratum — Umbellam — Peram — Calen- darium . . . . .	15
--	----

## CAPUT QUINTUM

Robinson insulam perlustrat—Magnus terror—In gaudium vertitur—Descriptio Lamæ—Unum occidit—Sed igne caret —Carnem more Tartarorum coquit . . . . .	19
--	----

## CAPUT SEXTUM

	PAGE
Turbo ingens—Tempestas unde magnum Robinsoni beneficium —Tedium solitudinis—Aranea . . . . .	24

## CAPUT SEPTIMUM

Præda ingens—Deest res maxime necessaria—Vota irrita— Ambulatio—Natatio—Res variae . . . . .	28
---	----

## CAPUT OCTAVUM

Lama mansuefacta—Pulli—Res variae . . . . .	32
---	----

## CAPUT NONUM

Terræ motus—Mons ignivomus—Lamæ vi aquarum abrepti— Spelunca Robiusionis diruta . . . . .	36
--	----

## CAPUT DECIMUM

Crusoëus domicilium reficit—Parat sibi alimenta in hiemem— Imbribus continuis impeditus domi, fingit vasa—Nectit rete —Arcum et sagittas conficit . . . . .	39
---	----

## CAPUT UNDECIMUM

Summæ Robinsonis miseriae—Ab insectis infestatur—Vestes ex pellibus sibi conficit—Incidit in gravem morbum . . . . .	44
---	----

## CAPUT DUODECIMUM

Convalescit ex morbo—Maximi luctus—Parva gaudia—Psittacus .	49
---	----

## CAPUT TREDECIMUM

Multus labor in excavanda scapha—Crusoëi constantia—Quomodo diem inter varias occupationes distribuit—In bellicis artibus se exercet . . . . .	53
--	----

## CAPUT DECIMUM QUARTUM

	PAGE
Robinson insulam peragrat—Vestigia hominum reperit—Summus terror—Prospicit crania, ossa, manus, pedes—Quod territo et fugienti accidit . . . . .	56

## CAPUT DECIMUM QUINTUM

Epulæ immanes—Prælium—Fortitudo Crusoëi—Friday servatus . . . . .	60
---	----

## CAPUT DECIMUM SEXTUM

Crusoëus paratus ad obsidionem ferendam—Friday describitur—Quare sic appellatus—Regia potestas—Abundat Crusoëus opibus . . . . .	65
--	----

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

Suspicio in lætitiam et admirationem versa—Casus qui risum legenti movebit—Rebus secundis adversæ levantur . . . . .	69
--	----

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM

Robinson domum fossa et palis munit—Docet socium Anglice loqui—Ambo scapham fabricare statuunt . . . . .	73
--	----

## CAPUT DECIMUM NONUM

Pluviarum tempus—Socii nectunt stragulas—Retia—Cymba conficitur—Nostri mari se committunt . . . . .	77
---	----

## CAPUT VICESIMUM

Ambo e periculo se expedient—Reversi in insulam, hortum colunt—Piscantur—Natant—Venantur—Novum iter suscipiunt—Tempestas—Magna navis derelicta—Ignota animalia—Ratis . . . . .	82
--	----

---

CAPUT VICESIMUM PRIMUM	PAGE
Multæ opes repertæ—Cibi—Supellex—Instrumenta—Vestes—Selopeta—Robinson repente dives . . . . .	89
 CAPUT VICESIMUM SECUNDUM	
Adsunt! Adsunt!—Arma inter socios dividuntur—Paratur bellum—Duo viri adversus quinquaginta—Victoris clementia . . . . .	93
 CAPUT VICESIMUM TERTIUM	
Friday patrem suum invenit—Concio convocata—Legati missi—Institutæ leges—Spelunca—Monstrum . . . . .	98
 CAPUT VICESIMUM QUARTUM	
Navis anglica appulsa ad insulam—Quo casu—Magna Crusoëi in præfectum merita—Spes liberationis . . . . .	104
 CAPUT VICESIMUM QUINTUM	
Fundata colonia—Crusoëus relinquit insulam—Quod accidit in patriam redeundi—Quomodo vitam deinde honestam et beatam degit . . . . .	108
NOTES . . . . .	113

# DE ROBINSONE CRUSOËO

## CAPUT PRIMUM

*Crusoëi ortus, indoles, educatio—Cupido peregrinandi—Dissessus a parentibus — Profectio Londinium — Infausta initia — Tempestas — Navis obruta fluctibus — Advenit Londinium, unde solvit ad Guineam.*

ERAT Eboraci, in urbe apud Anglos celeberrima, vir quidam cui nomen Crusoëo. Tres filios suscepit.

Maximus natu, armorum studiosior quam librorum, tractare a puero gladios, ordine militari comites instruere, aures vicinorum repetito tympani sonitu obtundere, et, vix adolescens, e fictis certaminibus ad vera procurrit et miles fit.

Qui quum sic didicisset sex circiter menses jussu centurionis stare et sequi, vertere corpus ad sinistram dextramque, exarsit bellum Turcas inter et Anglos, in quo quum multa egregie fecisset, gravissimo confossus vulnere cecidit.

Alter filius literas in gymnasio discebat ut causas in foro ageret, nec parva erat parentum magistrorumque de juvne expectatio; sed quum forte in feriis septembribus, corpore adhuc calido, aquam nimis frigidam imprudentius bibisset, in morbum incidit et intra paucos dies extinctus est.

Jam nullus supererat præter minimum illum natu,

Robinson appellabatur. Itaque suam in eo spem omnem ambo parentes collocaverunt, quippe qui ipsis unicus esset. Nihil eo carius in terris habebant; sed amor eorum non erat rectæ rationi consentaneus.

Quum enim debuissent eum certa disciplina assuefacere, omnia filiolo indulgebant; qui quum ludere quam studere mallet, totam illam ætatem quæ bonis artibus vacare poterat, in otio et nugis consumebat.

Pater optabat ut ille mercaturæ se addiceret. Hoc vero minime filio placuit; se malle ait orbem terrarum peragrare, ut multas res novas audire, multas videre posset.

Jam annum ætatis decimum septimum attigerat, socordiæ ignaviæque traditus. Quotidie autem patrem urgebat ut peregrinandi licentiam impetraret, quam ille nolebat concedere. Quum tandem more suo præter portum forte vagabatur, incidit in unum ex æqualibus, navarchi cujusdam filium, qui in eo erat ut cum patre Londinium navigaret.

Interrogavit Crusoëum sodalis an adjungere se socium itineris vellet. “Libenter,” ait ille; “vereor autem ut parentes id mihi concedant!” “Hui!” respondet alter, “clam illis proficiscendum est. Post tres hebdomades reduces erimus. Parentibus vero nuntiandum curabis quonam terrarum migraveris.” “Sed pecunia careo,” ait Crusoëus. “Nihil id refert,” alter excipit, “siquidem hoc tibi gratis constabit”.

Robinson noster, re paululum deliberata, illico manu cum altero juncta, “Euge, o bone,” exclamat! “ibo tecum; sed navem confestim concendamus”. Tum mandat eidam ut post aliquot horas patrem conveniat moneatque filium ad Londinium invisendum jam profectum, mox redditurum esse. Quibus peractis, ambo sodales navem concendunt.

Nec multo post nautæ solvunt ancoras velaque vento intendunt. Cœlum serenum erat, ventusque adeo secundus

ut brevi Eboracum e conspectu abeuntium se subduxerit. Postero die jam eo devenerant ubi Ousa in mare effluit, et nunc altum tenent. Quanta vero Crusoëus admiratione stupuit, quum mare immensum intuens, supra se nihil præter cœlum, nihil ante, pone, circa se nisi aquam conspiceret !

Fuit per biduum aer serenus, ventusque prospere afflavit navigantibus. Tertio autem die cœlum nubibus tegi, ventusque vehementior esse cœpit. Primo fulgura emicant, velut si totum flammis cœlum arderet. Deinde ingruunt tenebræ quasi in altissima nocte ; tonitrua cum ingenti fragore resonare, imber de cœlo ruere torrenti similis, mare intumescens fluctus ciere. Navis modo ad nubes tolli, modo præceps ferri in profundum. Quantus funium strepitus ! quantus in navi tumultus ! quod quisque nactus erat id complectebatur ne ipse dejiceretur.

Crusoëus, insuetus maris adolescens, quum jactationem maris ferre non posset, nausea oppressus, tanto affectus est dolore, ut expiranti similis videretur.

“ Heu ! parentes mei carissimi, heu ! ” iterum haec iterumque exclamavit, “ nunquam vos revisam.”

“ Heu ! ” exclamat nautæ pallidi, omni omissa spe, “ periimus ! abrepti sunt mali ; navis aqua undequaque completur.” His auditis, Crusoëus, qui in cubili nautico sedebat, retro collapsus est. Ceteri ad antlias accurrere, ut navem, si fieri possit, supra aquam retineant. Navarchus interim tormentorum sonitu iterum iterumque tentat ut navibus, si quæ forte non longe abessent, significaret se magno in discrimine versari. Crusoëus qui hujus fragoris causam ignorabat, ratus omnia periisse, denuo exanimatus est.

Et jam pro se quisque aquam exhaustire, sed in iufimo navis tabulato aquae altitudo crescebat. Nihil præter mortem expectandum erat. Ad navem sublevandam tormenta, dolia, mercium sarcinæ, omnia projiciuntur ; sed nihil hæc proficiunt.

Interea navis quædam alia, auditu sonitu tormentorum quæ ad significandum discrimen sonuerant, scapham emiserat ad servandos saltem navigantes; sed aestus fluctuum obstabat quominus accederet. Attamen propius ita demum subiit, ut iis qui in navi essent funis projiceretur. Cujus ope scapha tandem adducta est, et in eam quisque desiliit ut saluti suæ consuleret. Crusoëus, qui jacebat mortuo similis, a quibusdam nautis quos adolescentuli miserebat in eandem conjectus est. Vix paululum a navi recesserant, quum illa ante oculos fluctibus obruta est. Et nunc felicius contigit ut tempestas paulatim sedaretur; aliter cymba tot hominibus onerata ipsa quoque fluctibus absorpta fuisset. Tandem post multa pericula pervenit ad navem, in quam omnes excepti sunt.

Navis illa Londinium tendebat. Quatuor post dies ad ostium Thamesis fluminis pervenit, et quinto die in portu jecit ancoras. Mox in terram omnes descendunt, læti quod e periculo evassissent.

Dum Crusoëus portum perlustrat, multa secum animo volvebat. “Quomodo mei reducem me excipient, si domum repetiero? Castigabunt sane propter tale delictum. Sodales vero et multi alii me irridebunt quod tam cito redierim.” Incertus consilii audiit, non sine gaudio, nullam adesse navem quæ Eboracum tenderet. Qui autem hac de re eum certiore fecerat, unus e præfectis earum navium erat quæ ad Guineam profiscuntur.

Quum Robinson inter confabulandum negavisset se dolere quod nulla sibi Eboracum redeundi adesset opportunitas, quia mira flagraret cupiditate peregrinandi, præfectus navis ei auctor fuit itineris ad Guineam faciendi. Quo auditu primum Crusoëus obstupuit. Sed quum præfectus ei dixisset iter hoc fore jucundissimum, seque (ut haberet ipse quocum versaretur) gratis eum excepturum, ac præterea rem eam esse unde quæstum ille non mediocrem faceret, tum vero tanta eum

invasit cupiditas proficisciendi, ut subito e memoria Eboracum exciderit.

Sed re paululum considerata, “Equidem,” ait Robinson, “quatuor tantummodo aureos habeo. Ecquid ego commercii hac tam exigua re eo loco faciam quo tu proficisceris?” Cui respondit haec præfectus: “Sex insuper aureos ego tibi commodabo. Nec majore pecunia tibi opus est ad ea emenda quibus multas in Guinea opes consequaris. Quoties ab exiguis initii res maximæ profectæ sunt!”

“Sed quid ego his emam?” inquit ille. “Meras nugas,” respondit præfectus; “vitrum, torques, cultros, forfices, secures, tænias, quibus nigri Africæ incolæ tantopere gaudent. Vim enim auri eborisque centies majorem pro iis tibi dabunt.”

Nec jam diutius sibi Crusoëus temperare potuit; sed oblitus parentum, amicorum, patriæ, hoc modo exclamat: “En ego tibi comes itineris præsto sum”. “Agedum,” respondit præfectus; dextrisque junctis rem paciscuntur.

Itaque Crusoëus decem aureis dives, urbem jam properat, comparat varias merces, uti navarchus præceperat, comparatasque in navem transportandas curat. Paucos post dies, vento favente, præfectus navis ancoras solvi atque vela ventis dari jussit.

## CAPUT SECUNDUM

*Crusoëus pergit iter—Mala omnia—Navis incensa—Advehitur ad Canarias insulas—Inde profectus ad Americam naufragium facit.*

NOVUM hoc Robinsonis iter faustissimum initium habuit. Jamque incolumes fretum Anglicum transierant, et in ipso Atlantico mari versabantur. Tum vero plurimos dies vento reflante navis Americam versus abrepta est.

Vespere tandem gubernator forte declaravit se flamas reluentes a longinquo conspicere, quumque inspecta tabula nautica intelligeret vel ad centum millia nihil terrarum esse, conjecturam faciebat hunc ignem nihil aliud esse nisi navem incendio flagrantem.

Vix hæc dixerat, quum in auras tolli visa est navis, terribili cum fragore, et mox tota undis obruta est. Quum nox supervenisset, nihil amplius cerni poterat. Prima autem luce apparent duæ scaphæ, cum fluctibus luctantes, quæ remis everberabant mare, ut ad navem accederent. Extemplo præfectus vexillum nauticum explicuit, ut significaret se ad opem illis ferendam paratum esse. Navis ipsa omnibus velis ad eos tendit, atque intra dimidiā horæ partem ad miseros pervenit.

Sexaginta erant, viri, mulieres, pueri, qui omnes excepti sunt. Erat res omnino visu miserabilis, quum infelices illi faucibus mortis se ereptos viderent. Alii enim summo flere

gaudio, alii claimare, velut si periculum nunc primum imminiret; illi exultare, hi pallidi manus torquere. Nonnulli stare muti et stupentibus similes. Nemo inter nautas tam ferreus quin his conspectis commotus ipse lacrimaretur. Quum eis paulatim rediisset animus, unus ea narravit quæ miseris accidissent.

Navis illa incensa magna quædam atque mercatoria erat. Francorum, quæ ad Martinicam insulam tendebat. Exarserat ignis in cubiculo gubernatoris, flamma tam velociter grassante, ut nulla ejus extinguae spes adforet. Vix per tempus licebat ipsos in cymbas recipere, et ab incensa nave paululum discedere, quum correpta flammis camera in qua pulvis tormentarius sepositus est, discerpta navis dissiluit.

Tum navis celerrimo cursu aquas secat; qua navigandi velocitate Robinson noster mire delectatus est. Post aliquot dies ecce magnam navem ad se ipsos tendentem conspicunt. Mox audiunt sonitum tormentorum periculi instantis indicem, et animadvertisunt navem esse duobus malis orbata. Quum ad eam proprius accessissent, qui in ea vehebantur, sublati manibus, hoc modo precantur: "Servate nos infelices, quibus omnibus pereundum est nisi vos nostri miserebit".

Tum ex iis quæsitum est quid mali accidisset. Quibus quidam ex illis sic orsus est:

"Angli sumus, ex Jamaica insula, sacchari vecturam inde deportaturi. Ibi quum forte navis ad ancoras consistebat, præfectus cum gubernatore in terram descendit, ad merces alias insuper emendas.

"Interea exorta est tempestas, tanto cum turbine, ut fune disrupto, navis ex portu in altum propelleretur. Tempestas ista tres dies noctesque sœviebat; tum malis omnibus amissis, centum amplius millia abrepti sumus. Accedit etiam ad hanc nostram calamitatem quod nemo nostrorum artis nauticæ peritus sit; novem jam integras hecmodades hinc et inde

jactati, victum omnem consumpsimus, et plerique fame exhausti jacemus."

Quibus auditis præfectus, ut erat vir clementissimus, statim cymbam exponi jussit, assumptaque secum idonea ciborum copia, ipse cum Robinsone ad navem accedit. Erat sane lugendus prorsus omnium casus qui in illa vehebantur; universi inedia quasi consumpti; nonnulli vix poterant pedibus stare.

Quum autem cubiculum nauticum intrassent, horrendum visu! jacebant humi mater, filius, servula, qui fame omnes enecati videbantur. Mox autem deprehensum est aliquid in eis spiritus vitalis superesse. Postquam enim nonnullæ succi e carne expressi guttae in os cujusque instillatae sunt, lucem oculis quærere cœperunt.

Mater præ nimia virium imbecillitate nihil absorbere poterat; quum autem innuisset ut tantummodo filio suo consuleretur, mox illa exspiravit.

Interea duo reliqui animam receperant, atque ut erant ætate robustiores, præfecti diligentia servati sunt. Quum autem juvenis, oculis in matrem conjectis, mortuam esse intellexisset, tantus eum invasit dolor, ut deficientibus iterum viribus ægre ad vitam revocari posset. Vicit tamen cura, atque ille cum serva ægre e faucibus mortis ereptus est. Deinde præfectus navem omni genere alimentorum instruxit, malos a fabris suis reficiendos curavit, ignarisque maris peritum nautam dedit qui navem regeret; atque ad terram proximam ipse tendit ut nova cibaria compararet. Hæc erat Madeira insula. Crusoëus una cum præfecto in terram descendit, atque ibi lætissimo fortunatæ illius insulæ aspectu satiari non potuit. Scilicet terra partim in planitiem porrecta, partim in colliculos molliter assurgit, et vernantem frugiferarum arborum copiam explicat. Cœli admodum jucunda temperies; vix ullus enim hic hiemis rigor; ita vim omnem

frigoris retundunt clementiores solis radii mollesque favonio-  
rum animæ. Erant in oculis hic illic segetes in agris bene  
pinguibus diffusæ, juga montium continuae vitibus consita.  
Ut arridebant Crusoëo nostro pendentes racemi! O quales  
ille hausit delicias, quum præfectus ære dato impetrasset ut  
juveni liceret uvis pro libidine satiari. Postquam ibi ali-  
quantum temporis moratus est navis reficiendæ causa, an-  
coram solvit.

Per plures continuos dies felicissimo cursu usi sunt.

Sed repente vehemens tempestas ab austro oritur. Spu-  
mabant fluctus, et in immensam surgebant altitudinem.  
Navis tamen invicta stetit; sed postquam sex dies continuos  
atrox tempestas sæviit, illa tam longe a via dejecta est, ut  
nec præfectus nec gubernator amplius intelligeret quoniam in  
loco versarentur. Arbitrabantur tamen se ab insulis quæ  
Caraïbæ vocantur non multum abesse. Septimo autem die  
quum primum illucesceret, e nautis quidam terram conspici!  
Tum omnes in stegam condescendere visuri quænam sit terra  
illa ad quam appulsuri sint; sed nunc lætitia in summum  
terrorem mutata est. Subito navis in terram impingitur;  
quo ictu qui stabant in stega excussi omnes corruerunt.

Scilicet navis in syrtem tam vehementi impetu allisa  
erat, ut penitus affixa hæreret. Confestim fluctus spumantes  
tantam vim aquæ in stegam profuderunt ut omnibus esset  
confugiendum, ne ipsi abriperentur.

Tum flebilis nautarum oriri clamor; tum ejulatus hinc  
Deum orantium, inde clamantium; alii desperantes sibi  
crines avellere, jacere alii semianimi.

Hos inter Crusoëus exspiranti similis erat; ac repente  
exclamant navem dehiscere. Itaque in stegam omnes ac-  
currere et in demissam quam celerrime scapham omnes  
desilire. Tanta autem erat multitudo inconsulte ruentium,  
ut vix palmæ latitudine scapha undas superaret. Quum vero

terra procul abesset, sæviente adeo tempestate, cuncti de ora assequenda desperabant.

Et jam ingens fluctus ad scapham volvi, montis instar, quo omnes conspecto obstupescere, remosque dimittere. Nunc, nunc instat periculum. Aquæ mons scapham assequitur subvertitque ; tum universi hauriuntur.

### CAPUT TERTIUM

*Sera Crusoëi pœnitentia—Desperatio—Vitam misere sustentat  
—In splenunca habitat.*

FELICI fato contigit ut ingens ille fluctus qui Crusoëum absorpserat, idem vi magna reciprocans, hominem in terram expueret. Qui quum præter exspectationem in sicco versaretur, tum extremis viribus usus est ut summam in oram ascenderet; quumque eo pervenisset cœpit circumspicere. Eheu! qualia oculis obversantur! scapha, navis, socii, omnia demersa. Nihil omnino reliquum præter avulsas tabulas quæ fluctibus ad terram ferebantur. Unus ipse, unus mortem effugerat. Gaudio igitur et terrore simul trepidans, in genua procubuit, manibusque sublatis, lacrimis perfusus, Deo gratias egit. Quum vero nihil præter arbusta, præter arbores deprehenderet, neque ulla vestigia unde intelligere posset hanc regionem ab hominibus incoli, gravissimum illi videbatur vitam tali in solitudine degere. Venit quoque in mentem vagari forte ibi belluas, aut feros homines; tum multo majore metu percensus est. Itaque primum præ timore nec stare ausus nec progredi; circumspectare omnia et vel minimo strepitu expavescere. Sed mox qua ardebat sitis torporem istum excussit; quam quum diutius pati non posset, fontem aut rivum indagare cœpit, et sic vestiganti occurrit manans per herbas rivulus; quem ille secutus fontem invenit amoenissimum quo valde recreatus est.

Nec hominem fames tunc maxime urgebat, quippe cui angor terrorque oīnūm cibi cupiditatem exemerant. Sed erant adeo exhaustæ illi vires, ut multo magis requiescere vellet. Attamen primum omnium inveniendus erat locus in quo tutus pernoctaret. Nulla domus, nullum tugurium, nullum specus erat; et diu consilii inops flebat. Tandem aves imitari hospitiumque in arbore quærere statuit. Ac brevi unam prospexit tam densam opacamque, ut commode insidere dorsumque acclinare posset. Hanc reptando ascendit Deumque precatus, quum se composuisset, statim obdormivit. Inter somnum, illi in mentem, curarum æstu jactatam, recursabant imagines rerum earum quæ pridie vigilanti acciderant. Videre sibi videbatur motus et minas fluctuum navem haurientium, nautarumque ejulatus exaudire. Sibi in animo fingebat parentes luctu ac mœrore confectos qui, filii vicem dolentes, manibus ad cœlum sublati, flebant et omne prorsus solatum aversabantur. Tunc inter somniandum magna voce: “Adsum, adsum,” ait, “parentes carissimi!” dumque amplexu matrem petit, ex arbore decidit; sed forte quod ipsi faustum fuit, sedem in loco non sublimi posuerat, solumque tam denso gramine vestitum erat, ut ille casu non ita gravi decideret. Iterum arborem suam conseedit, in qua dum manibus retinet surculos circa eminentes, ortum solis expectabat.

Prima luce cogitabat qua ratione victum sibi paraturus esset. Quas vero arbores hactenus conspexerat, erant omnes ex abietum genere; atque illæ folia quidem ferunt, sed fructus omnino nullos.

Nec satis illi liquebat quid sibi faciendum esset. Ex arbore tamen descendit. Quum autem pridie nihil omnino comedisset, cœpit fame sævissima laborare; itaque huc illuc per aliquot millia passuum discurrit; sed discurrendo nihil invenit, nisi arbores steriles et gramina.

Tunc summo excruciatuī angorē fāmē et ultimā sibinet

ominabatur : “ Pereundum mihi erit fame ! ” sic miserabiliter ejulabat. Desperanti vero necessitas satis animi viriumque adjecit, ut se ad litus maris conferret investigaretque diligentius si quid forte alimenti invenire posset. Sed sua eum spes fecerit. Hic vero debilitatus fractusque procubuit voltu in terram demisso, et valde plorabat, quod non fuisse fluctibus et ipse obrutus. Et jam statuerat in hoc miserabili rerum articulo expectare, dum lenta fame, morte omnium teterrima, vitam consumeret ; quum forte conversus, ecce nonnullas in arena conchas ostrearum conspexit. Avidus statim eo accurere, circumspicere, scrutari, num forte plenas quasdam reperiret, repertisque exultare.

Ac primo quidem illas non sine difficultate aperuit ; sed, inserto plano eodemque acuto silice, perfecit ut triginta circiter haustis ventrem paululum placaret.

Quum nunc certior esset se posse quamvis misere sustentare vitam, jam maxime sollicitus erat quo se et a feris hominibus et bestiis tutum reciperet.

Tum in montem suimum, ægre, ut erat satis excelsus, ascendit, unde quam latissime circumspicere poterat ; sed quantus eum terror invasit, quum vidisset se in insula esse, neque ullam omnino terram apparere præter tres parvas insulas quæ, spatio aliquot millium interjecto, ex æquore eminebant !

“ Heu ! me miserum ! ”—sic est locutus, manibus ad cœlum sublatis—“ ab hominum commercio omni ita sejunctum esse, ut mihi in hac solitudine velut feræ bestiæ vivendum sit ! Nunquam igitur parentes meos revisam ! Nunquam licebit culpæ meæ veniam exorare ! ”

Ita locutus monte descendit, et quærebat ubinam posset in tuto se collocare. Diu autem frustra indagavit ; tandem ad locum editiorem pervenit, ex adversa parte, instar parietis, præruptum. Quum accuratius exploraret, locum leviter ex-

cavatum, satis angusto aditu invenit. Hic si quævis instrumenta ferrea habuisset, facile cavum in saxo domicilium, gradatim excisum, fecisset. Sed quum hæc omnia desideraret, huic inopiae medendum erat.

Postquam diu multumque deliberavit, sic secum statuit ; “quas hic video arbores, salicibus patriis similes sunt, quæ si transferantur novas facile radices agunt. Eruam igitur manibus satis magnam earum copiam quæ, ante cavernam denso ordine consitæ, pro munimento erunt ; quum illæ radices egerint, ibi licebit clauso et seculo mihi quasi in domo dormire.”

Tum lætus ad opus statim se accinxit. Sed quanto majore gaudio exultavit, quum huic loco proximum fontem liquidissimum e monte exilientem prospexisset ! Eo statim properavit quia, quum hue illuc fervente sole discurrisset, multum æstuabat.

Postea vero cœpit manibus et multo sudore teneras aliquot arbores extirpare, quas eo transtulit ubi sedem sibi destinaverat ; atque ibi quoque cavum fodere manibus oportuit in quo arbores insereret ; sed vesper advenit, vix quinque aut sex arboribus consitis. Fame compulsus oram maris rursus petiit, ut iterum conquereret ostreas ; sed quum æstus rediisset, totum litus occupaverant undæ ; ægre igitur unam et alteram reperit, et sic male pastus cubitum ire coactus est. Reversus est igitur ad arborem suam, ibi pernoctaturus, donec hospitium sibi tutum confecisset. Ne autem hac nocte idem ipsi accideret quod superiori, genualibus se ei ramo religavit ad quem dorsum prius acclinaverat, et se summo rerum Creatori commendato, tranquille obdormivit.

## CAPUT QUARTUM

*Reperit poma eximiae magnitudinis—Sibi conficit varia instrumenta—Funiculos—Stratum—Umbellam—Peram—Calendarium.*

HAC nocte Crusoëus ex arbore non decidit; sed placide usque ad ortum solis quievit.

Prima luce litus petiit, ut, collectis ibi ostreis, ad opus inchoatum reverteretur. Quum eo alia via tenderet, eunti contigit arborem invenire quæ poma inusitate magnitudinis ferebat. Quorum etsi indolem ignorabat, quum speraret ea fore quibus vesci posset, unum ex iis decussit.

Erat autem nux oblonga nec minor capite pueruli, quæ vulgo in insulis Americanis *cocossa* vocatur. Erat nucleus quasi medulla et succus qui saporem olei ex dulci amygdala expressi referebat, atque in medio lac gratissimum.

Quum stomachuin latrantem una non placaret, alteram, tertiam quoque, decussit, quibus abunde satiatus, litus maris petiit; quumque mare reddidisset terras paulo ante salo mersas, nonnullas passim in sicco ostreas repperit. Magnam quoque et planam in litore concham invenit qua pro spatha usus est; atque illud ipsi non mediocri fuit adjumento. Nec multo post plantam deprehendit fibroso caule, qualis est apud nos lini aut cannabis.

Hæc ille et talia quovis alio tempore neglexisset; nunc vero nihil omittebat, intentus ad singula, si quid forte inde utilitatis caperet.

Quum ergo speraret id plantæ genus non minus sibi fore opportunum quam linum nobis aut cannabem, ejus copiam evulsit, colligatosque fasciculos in aquam demersit.

Diebus aliquot peractis, quum animadvertisset exteriorem crustam aqua jam satis emollitam, fasciculis inde sublatis, stirpes moliores factas ad solem apricum explicuit. Quibus vix mediocriter siccatis, tentavit num hoc quoque, lini instar, repetito fustis ictu, conteri posset. Quumque res ex sententia cessisset, confestim funiculos facere conatur tanta firmitate, ut concham baculo affixam alligare posset. Quo facto illi instrumentum haud absimile ligoni olitoris erat.

Tum vero opus assiduo persecutus est, densasque conseruit arbores, donec areolam ante propositum sibi domicilium omnino sepsisset, atque inde quasi paries exstitit adeo validus, ut nonnisi vi multa expugnari posset.

Illas veniente die, illas decadente irrigabat aqua e fonte proximo hausta, ac brevi magno cum gaudio teneras vidit arbores suas virescentes crescentesque adeo feliciter ut mira esset in ipso aspectu loci amoenitas.

Septo jam perfecto, continuum resti torquendæ impedit diem ad scalam conficiendam; noluerat enim domicilium suum porta claudere, ne parum firma foret adversus irruentis feræ impetum.

Quæ rupes domicilio imminebat circiter duodecim pedes alta erat. In summa stabat arbor cui scalam ita alligavit ut in terram dependeret. Tum rupem descendere neque frustra aggressus est.

His omnibus confectis, secum ut deliberare cœpit quomodo cavum augeret, facile intellexit tale opus solis manibus non suscipiendum esse. Excogitandum erat instrumentum quod adjuvamento foret.

Ea mente regionem lustravit, et nactus est tandem lapidem securis formam referentem, præacutum, atque in eo foramen

in quod manubrium intrudi posset. Quæ res multo labore, et lapide alio adhibito, feliciter successit; quumque fustem alligasset funiculis quos propria arte paraverat, hærebat manubrium quasi clavis affixum.

Dum pergit quærere, duos invenit lapides alios, variis operibus aptos; alter instar erat tudiculæ, alter ita formatus ut aciem cuneo similem haberet. Utroque Crusoëus assumpto, animo tam alacri reversus est, ut extemplo se ad opus accingeret.

Qui quidem tum cuneo, tum tudicula sensim multa rupis fragmenta decussit. Res erat plena sane laboris. Sed diebus aliquot in opere consumptis tantopere processerat, ut spatum cubiculo idoneum existimaret. Tunc avulso gramine siccatoque, fœnum confecit, lectulum inde commodum sibi paraturus.

Nihil igitur fuit impedimento quominus in suggestu hoc tam molli somno indulgeret, quippe cui sedenti, alitum more, in arbore octo amplius noctes fuerant traducendæ. O quanta voluptate fructus est quum liceret fessos artus in lectulo componere!

Jamque dies primus hebdomadis proximus erat, Deumque rogavit sibi peccatorum veniam, parentibus miseris præsidium et solatia.

Deinde ut diem illum semper dignosceret, neque dierum ordo excideret e memoria, venit in mentem Robinsoni sibi calendarium condere; non illud quidem tam accuratum, nec typis impressum, quali nos utimur, ejusmodi tamen ut ad dies numerandos sufficeret. Quod quidem tali modo assecutus est. Quatuor arboribus contiguis cortice quam levissimo electis, unam quæ magnitudine cæteras superabat, die confecto lineola incisa notavit. Post incisas septem lineolas, erat finis hebdomadis, quem exarata in proxima arbore linea indicabat.

Quoties in altera hac arbore quatuor aut quinque lineolas

insculpsérat, in tertia arbore simili linea notabat integrum mensem peractum. Duodecim autem lineis menstruis insculptis in quarta arbore signabat annum peractum.

His ergo annalibus Crusoëus temporum ordinem servabat, diemque unum a cæteris dignoscere poterat, quam more Christianorum rite celebraret.

Interim consumpta erat maxima pars nucum cocossæ ejus quam unam huc usque invenerat, atque in litore tam raræ apparebant ostreæ ut homini alendo non sufficerent. Itaque de victu iterum sollicito esse animo cœpit.

Hactenus quidem non longe a domicilio suo discesserat, metu et ferarum et hominum. Jam vero necessitate coactus, insulam perlustrare ausus est ut nova quæreret alimenta, constituitque die proximo iter facere novum. Sed ut se a nimio solis aestu defenderet, vesperam illam umbellæ confiendæ impendit. Quum illi essent neque linteum neque virgulæ balænarum neque forfices neque acus neque fila, eviminibus salignis tegmen struxit, et insertum in media parte baculum funiculis alligavit. Tum ex arbore cocossæ folia sumpsit latiora, quibus tegmini affixis umbellam confecit tanta densitate ut solis radiis omnino impervia esset. Atque eadem arte textis funiculis fabricavit sibi peram in qua et victimum secum portaret, et conderet alimenta, si quæ invenire sibi contigisset.

Tum vero tantopere lætatus est opere perfecto ut noctem insomnis traduxerit.

## CAPUT QUINTUM

*Robinson insulam perlustrat—Magnus terror—In gaudium vertitur—Descriptio Lamæ—Unum occidit—Sed igne caret—Carnem more Tartarorum coquit.*

ROBINSON vix ortum diei expectare poterat ; itaque prævertit lucem ipsam ; peram funemque corpori circumdedicit ; securi- que pro gladio cinctus, et umbella humeris imposita, in viam alacriter se dedit ac primum arborem cocossam adiit ut unam aut alteram nucem decerperet ; tum litus quoque revisit, ostreas collecturus ; quumque utriusque generis satis magnam copiam sibi comparavisset, iter ingressus est.

Mira cœli matutini erat serenitas. Redeunte luce singulis rebus sua forma redierat. Sol oriens clarissimo fulgebat splendore quasi ex oceano emergeret, arborumque cacumina veluti inaurabat. Multæ undique aves variis mirisque pictæ coloribus velut si auroram salutarent carmen matutinum canebant. Puro frigidoque aere, odorem flores suavissimum exhalabant.

Tum Crusoëus grato commotus animo : “ Hie quoque,” ait, “ hic Deus se benignissimum declarat ”. Tum vocem ipse suam cantibus avium miscuit, Dominoque Deo laudes reddebat.

Quuin a bestiis ferisque hominibus sibi metuere non desis- set, in itinere silvas dumetaque sedulo vitabat, ea autem petebat loca ubi quam latissime prospectus pateret. Illa

autem ipsa maxime nuda steriliaque erant. Longum igitur spatium emensus, nihil tamen invenerat quod sibi ullo modo prodesset. Tandem in fruticem incidit quem accuratius explorandum censuit. Erant herbæ tam densæ ut silvulam referrent; aliae flores subrubros, aliae albicantes, nonnullæ florum loco poma viridia ferebant. Extemplo gustat unum ex iis, sed erat adeo acerbum ut indignatus stirpem evelleret unde istud decerpserat. Tum vero miranti apparuerunt tubercula diversæ magnitudinis quæ ab ipsis stirpium radibus pendebant. Quorum quum sapor suo palato minime arisisset, jam in eo erat ut omnia abjiceret. Sed secum reputavit, non ea esse inutilia omnino habenda, quorum usus primo statim aspectu intelligi non possit. Itaque nonnullis tuberibus in peram demissis Robinson longius progreditur, lento tamen gradu et maxime cauto.

Si quem vel minimum strepitum audiret sive dumetorum, seu quarum arborum aura agitabat, continuo securim corripere qua se defenderet; semper autem non sine gaudio animadvertisit timorem vanum fuisse. Tandem devenit ad rivum, ubi prandere constituit. Igitur sub arbore alta umbrosaque consedit; jamque cœperat magna cum voluptate epulari, quum repente strepitu quodam longinquo vehementer exterritus est. Timidus circumspxit, tandemque gregem magnum vidit pecudum ovibus nostris similium nisi quod eminentे paululum dorso camelorum formam referant; cæterum ovibus nostris paulo grandiores. *Lamæ* eis nomen.

Huic animalium generi formosum caput, oculi venusti, os productum, crassiora labia; idem pes ac bovi, bifidus, sed ungue simul postico instructus, quo per abrupta quæ scandunt veluti morsu ancoræ utuntur.

Lama latus incedit, composito gravique sed eodem certo passu: quippe qui millia aut decem aut duodecem in diem, per loca jumentis impervia cæteris conficiat, per anfractus

descendat præcipites, idemque saxa ardua et ipsis hominibus inaccessa exsuperet. Quatriduum ferme emensus iter, ipse per horas quatuor et viginti ultro cessat et quiescit. Mite ei et prudens ingenium; sicubi consistere placuit, fleetere illi genua, corpusque demittere ne onus dimoveat. Deinde sibilo misso, nulla mora, caute admodum surgere, iter incepsum peragere. Herbas autem inter eundum lamae depascunt, noctu etiam dormientes ruminant; prono pectore pedibusque ad ventrem reductis decumbunt.

Robinsonem, quum animalia ista appropinquare vidisset, incessit dira cupido edendi carnem assam qua tamdiu caruerat. Constitit post arborem securi instructus, sperans fore ut unum mox e grege propius transeuntem facile sterneret. Quod quidem bene successit. Quum enim unus e pullis satis appropinquasset insidianti, Robinson cervicem ejus tanto ictu percussit, ut extemplo exanimis ille procideret, humerisque impositum secum in domicilium asportavit.

Quum rediisset, invenit quod magna ipsum lætitia afficeret; scilicet sex aut octo malos citreas sub quibus nonnulli fructus jam maturi ceciderant. Illis diligenter collectis, locoque notato, hilari animo domum contendit. Ibi autem primo cœpit lamam excoriare. Quod quidem confecit ope silicis acuti, quo pro cultro utebatur. Pellem detractam ad solem expandit; quam quidem præviderat sibi non mediocri fore utilitati. Calceamenta enim tibialiaque longo usu attrita erant. Existimavit ergo, ubi calcei defecissent, fore ut posset soccos e pelle conficere, quos pedibus subligaret. Sollicitus quoque de hieme, magnopere lætatus est quod pellem villosum naetus esset qua se contra vim frigoris defenderet. Et ab ista quidem sollicitudine vacuus esse potuisset, quum in istis regionibus prope circulum æquinoctialem positis hiems sit nulla. Hoc autem Robinson ignorabat, quippe qui puer omnem omnino doctrinam aversatus fuisset.

Pelle igitur detracta, exemptis visceribus, dissectaque ut assaret postica parte, primam ad veru comparandum curam intendit; atque hoc consilio arborem tenuem excidit, eamque, detracto cortice, ab extremo præacuit; duos deinde ramos qui furcæ speciem habebant, deligit, veru fulciendo idoneos. Quos etiam ab ima parte quum acuisset, in terram ex adverso defigit; tum carnem veru transfixam inter furcas posuit, nec mediocrem percepit lætitiam, quum vidisset quam apte veru versaretur.

Jam præter ignem nihil Robinsoni deerat. Quem ex duobus ligni fragminibus inter se collisis elicere aggressus est, sed frustra. Quoties enim ligna incalescere cœperant, toties ipse adeo defatigatus erat ut aliquantulum temporis a labore cessandum esset, ad vires reficiendas. Interim ligna refrigescere, omnisque labor irritus evadere. Tum ille iterum nec sine magno dolore sensit quam parvi sint singulorum vires, quantumque opis alii aliis homines consociati afferant; etenim si vel unum habuisset socium qui, viribus ipsi deficientibus, in ligno terendo operam navasset, profecto ligna demum ignem concepissent. Sed labor sic intermissus omnino periit.

Animo tandem fractus, lignis abjectis, consideret in strato et capite reclinato oculos non semel conjicit in carnem illam quam nunc non comedere potest. Ad hæc quum subito in mentem hiems recurisset, tanto angore oppressus est ut animi reficiendi causa aliquantulum deambularet.

Quibus cogitationibus commotus, ad fontem se contulit, aquam frigidam putamine cocossæ inde hausturus. Succo deinde malorum citreorum admisto, potum satis suavem et recreandis viribus maxime hoc in tempore idoneum sibi paravit.

Attamen carnis assæ cupiditas mentem illi torquet. Tandem vero Tartarorum recordatus est, quos audierat carnem quam comedere cupiant ephippiis subjectam citato cursu

coquere. “ Illud quidem,” ait secum, “ alia ratione assequi possum.” Itaque continuo rem tentare constituit.

Nec mora, duos lapides satis latos et leves querit ejus similes ex quo securim confecerat. Tum hos inter aliqua carnis parte interposita, superiorem lapidem malleo identidem tundit. Quod quum aliquandiu fecisset, lapis incalescere cœpit. Eo majore alacritate ille tundere; nec peracta est horæ pars dimidia, quum caro et fervore lapidis et repetitis ictibus adeo emollita est, ut satis esculenta esset. Quæ quidem ea caruit saporis suavitatem, quæ carni apte assatae; attamen Robinsoni nostro, qui tamdiu carne caruerat, lautas dapes præbuit. Quo autem carnis saporem jucundiorem redderet, succo malorum citreorum expresso eam infecit, et sic exquisitissime epulatus est.

Prandio confecto deliberavit quodnam opus tunc maxime sibi suscipiendum esset; cui multa secum in animo volventi suasit metus hiemis ut plures lamas caperet aut interficeret, quorum pellibus uteretur. Qui quum satis mansueti viderentur, satis facile se voti compotem fore sperabat. Hac spe concepta ad lectum se contulit; statim obdormivit, somnoque placidissimo præteritum diei laborem abunde compensavit.

## CAPUT SEXTUM

*Turbo ingens—Tempestas unde magnum Robinsoni  
beneficium—Taedium solitudinis—Aranea.*

ROBINSON hac quidem nocte placide admodum dormivit. Quum tandem expergefactus diem jam non parum processisse animadverteret, lectulo surrexit celeriter lamas venaturus. Sed cœli tempestas obstitit. Quippe vix egresso subito regrediendum fuit; scilicet imber tanta vi de celo ruebat, ut nulla spes esset foras eundi. Itaque expectare statuit donec tempestas desisset. Ingruebat imber; fulgura ita micabant ut tota quasi arderet spelunca; tonitrua sequebantur inusitata. Terra ipsa contremiscere, montesque ita reboare, ut fragoris istius nullus finis futurus esse videretur.

Quum Robinson ingenuis artibus non eruditus esset, humanum erat timorem vanum et anilem concipere. Sedebat enim ille miserrimus in angulo speluncæ, junctis manibus et præsentibus graviora quæ sequerentur metuebat. Interim imbres terram inundare, fulgura coruscare, tonitrua perpetuo resonare. Appropinquabat hora meridiana, necdum tempestas desævierat. Nec ipse quidem multum esuriebat Robinson, quippe cui famem omnem angor exemisset; adeo tetris cogitationibus excruciatatur.

“ Venit ille sane dies,” ait ille secum, “in quo placuit Deo, parentum ulti, pœnas a me repetere. Pereundum mihi est; nunquam ego miser parentes miseros revisam,”

Dum hæc secum ipse tristis volvit, vim tempestas remittit et Robinson, a spe non omnino dejectus, in viam se conferre statuit. Quum autem in eo esset ut peram securimque arriperet, ecce subito. . . . Attonitus in terram procidit.

Scilicet arbor speluncæ imminens fulmine icta, tanto fragore disrupta est ut Robinson examinatus se ipsum interemptum putaret. Diu etiam sensu orbatus jacuit. Quum tandem intellexisset se adhuc vivere, e solo sese erexit; statim vero, ante ostium speluncæ, arboris a fulmine disruptæ atque prostratæ partem conspexit. Interim pluvia desierat, nec jam exaudiebantur tonitrua; tum Robinson ausus est e spelunca prodire. Quid vero oculis objicitur? Ardebat ipsius truncus arboris, fulmine ictæ . . . Robinson igitur id subito nactus est quo plurimum indigebat. Tanto atque insperato lætus munere, manibus in cœlum sublatis, optimo hominum Parenti gratias egit, qui, vel inter maxime terribiles casus, nostræ semper consultit felicitati.

Tum vero Crusoeo suppeditat ignis quem alere haud difficile fuit; nec amplius causa erat cur de vitæ salute in deserta hac insula sollicitus esset.

Venatio in posterum dilata est, quoniam placuit utilitatem statim ex igne capere, carnemque veru adhuc affixam apparare. Tum coqui ministerio functus ignem movet carnemque sedulo versat . . . Quam juvabat flamas micantes tremulasque intueri! Pretiosissimum enim divini numinis munus ignem e cœlo sibi demissum interpretatus, quum cogitaret quantas inde percepturus esset utilitates, propter memoriam beneficij saepius oculos in cœlum vertit.

Tum vero hoc unum Robinson desiderabat, sal scilicet quo carnem condiret; speravit autem se processu temporis id quoque commodi genus inventurum. Nunc ergo satis illi fuit litus petere ad aquam cocossæ putamine hauriendam; qua quidem quum nihil melius adasset, carnem tunc irrigavit.

Quantam vero conceperit Crusoëus noster lætitiam, quum primum ori suo frustum admovit, is tandem sibi fingere potest qui per quatuor hebdomades continuas nihil ciborum rite paratorum comederit, omnemque iis unquam vescendi spem penitus amiserit.

Summa erat Robinsoni felicitas; sensit tamen id sibi maximum deesse, hominem quocum illam communicaret. Inest enim nobis aliquid ab ipsa natura penitus insitum, ut non alia res hominem magis delectet quam si cum homine versari possit et colloqui. Natura quippe nihil solitarium amat, et si suppetant omnium rerum quas ipsa desiderat abundantia et copia, erepta hominis omnino aspiciendi potestate, nemo est tam ferreus qui id vitæ genus sustinere possit, cuique fructum voluptatum omnium non auferat solitudo. “Heu!” ait ille cum gemitu; “O me felicem, si mihi contingat societas unius amici aut unius hominis vel miserrimi ejus mutua in benevolentia conquiescam! Si saltem adsit unum modo animal mansuetum, canis aut felis, quod beneficiis mihi devinciam! nunc autem mihi vivendum est prorsus incomitato atque ab omni animantium societate remoto.” Hic lacrimis genæ maduerunt.

Quas inter querelas oculis forte in ostium tugurii conjectis araneam animadvertis, quæ telam suam in angulo quodam contexerat. Tantopere autem socio invento lætatus est, ut qualis esset minime curaret; juvabat intueri qua arte telam a medio texere inciperet, ac deinde fila immitteret alia in rectum, alia in orbem, maculasque, paribus semper intervallis, indissolubili nodo adnectaret, quæ minora animantia veluti retibus implicata tenerent. Itaque non desiit ei bis in die museas culicesque sufficere. Illa quoque in tantam cum hospite amicitiam init, ut quoties Robinson telam tetigisset, illa, specu progrediens, prædam ex herili manu acciperet.

Jam nox appropinquabat solque in undas immergi videbatur. Oriens ex opposita cœli parte Luna radios in speluncam fundebat tanto Robinsonis gaudio ut ille aliquamdiu somnum capere non posset. Tandem obdormivit, dum ignis, subjecta materia, lente alitur.

## CAPUT SEPTIMUM

*Præda ingens—Deest res maxime necessaria—Vota irrita—  
Ambulatio—Natatio—Res variæ.*

CRUSOËUS, quum solis aestus in insula interdiu esset fervidissimus, matutinum imprimis aut vespertinum tempus operi impendere solebat. Itaque primo mane surrexit, quumque ligna super focum reposuisset, dimidiā cocossae nucem, quæ de hesternis epulis reliqua erat, comedit. Quo facto, quum aliam lamæ partem veru affigere vellet, carnem, jam putreescere, propter nimium calorem, sensit. Carendum igitur hodie fuit voluptate quam ex edenda carne percepisset.

Deinde humeris pera venatoria cinctis, ad litus se contulit, ostreas collecturus. Ibi vero pro ostreis, quarum mira paucitas erat, aliud alimenti genus Robinsoni contigit invenire, quod certe utilitate ostreas vinceret; animal cui tectum ipsa composit natura, quod secum quocumque libuerit gestat, testudinem nimirum; tantaque illam magnitudine quanta in his regionibus raro reperitur; quippe librarum fere quinquaginta pondus aequabat.

Sæpe ille carnem testudinis et jucundam esse et salubrem audierat. Prædam igitur humeris impositam lente domum deportat. Tum securi sua inferiorem partem conchæ percutit repetito ictu, donec frangeretur; et sic testudine potitus, opimam ejus partem assandam resecuit. Quam quum veru affixisset, ut magnam fainem explere cupiebat, vix expectare poterat donec rite cocta esset.

Interim dum sedet assam versans, secum reputat quid de reliqua testudine sit faciendum, ne putrescat. Ad illam enim muria condiendam et patina et sale carebat. Quomodo se inde expediatur?

Sollicito enim animo prævidit egregiam illam testudinem, quæ sibi vel octo amplius dierum victum præbuisset, postero die putridam fore; neque tamen animum subiit qua ratione illam condiret. Ac subito hoc ei consilium in mentem venit. Superior testudinis crusta clipei similitudinem aptissime referebat. "Hæc erit," (sic ille secum), "pro patina. Unde autem salem petam? O me stultum!" ait, fronte simul percussa. "Nonne possum carnem aqua marina irrigare, quæ quidem idem præstabit ac si sale esset condita? Optime! egregie!" iterum iterumque exclamat, atque lætatus veru celerius versat.

Et nunc caro rite assa est. Quum ille esculentum quoddam ejus frustulum gustasset, sic secum non sine suspirio locutus est: "ah! si modo fragmentum panis vel minutissimum mihi nunc contingat! Quam stultus fui, qui puer non intellexerim quantum Dei erga homines beneficium panis sit! Tunc temporis, ut satis mihi fieret, cibi lauiores dapibus addendi erant. O utinam nunc mihi adesset fragmentum quodlibet panis illius quem tunc ad canem nostrum horti custodem projiciebam! Quam me felicem nunc prædicarem!"

Robinson igitur quam lautissime posset epulatus est. Deinde, fervidissimo diei tempore, paululum in strato recubuit, ut secum meditaretur quodnam potissimum opus susciperet, quum remisso calore liceret operam in aliiquid conferre.

"Quid nunc prius agam? optimum erit ad venandos aliquot lamas proficiisci. Quid autem proderit tanta carnis copia?" Sic secum reputanti in mentem incidit consilium novum, cunctisque prioribus longe præstantius. Scilicet animalia quædam, si posset, mansuetacere decrevit quæ sibi

victum simul et societatem præstarent. Lamæ autem quum jam mansuetissimi natura viderentur, speravit fore ut facile nonnullos ex iis vivos exciperet. Statuit funiculum ita aptare ut esset pro laqueo, tum post arborem insidiari, et lamæ capiti, qui primus appropinquaret, laqueum injicere. Hac mente funem satis crassum contorquet; atque paucas post horas cuncta confecta sunt. Tum identidem omnia expertus, vidit res bene successuras esse.

Quoniam vero locus ille qua lamæ ad aquam devenire solebant satis remotus erat, nec constabat num unoquoque vespere eo venturi essent, re ad crastinum diem dilata, interim cætera ad iter faciendum paravit. Tum resecto testudinis frusto quod et vespertinæ et crastinæ cœnæ sufficeret, reliquam partem aqua marina irrigavit.

Quo facto foveam mediocrem in solo fudit, quæ sibi ad tempus cellæ vicem præstaret; atque in ea concham testudinis carne repletam condidit, ostio cellæ intèxis ramanibus occluso.

Reliquum a meridie tempus jucundæ ambulationi impedit ut animum recrearet; quam ob causam ad litus maris se contulit, unde suavis aura spirabat qua aëris aestus paululum temperabatur. Ibi dum secun spatiatur, valde delectatus est aspectu maris tam immensi cuius plana facies fluctibus sese invicem leni lapsu pellentibus vix crispabatur. Hic animo affectus, oculos in eam terrarum partem convertit in qua sita erat cara sibi patria, quumque hæc optimorum parentum memoriam desideriumque renovarent, nonnullæ obortæ sunt lacrimæ.

Atque sic obambulanti venit in mentem sibi ut corpus abluat ad squalorem detergendum. Vestem igitur depositum. Ut vero stupuit aspecto indusio quod unicum habebat! Quoniam in regione tam calida nunquam illud exuerat, vix cerni poterat linteum albi coloris olim fuisse.

Primo igitur statuit sedulo indusium lavare. Quo quidem ex arbore suspenso, ipse in aquam desiliit.

Quum autem puer natandi artem didicisset, placuit ex eo loco ubi in aquam descenderat natando pervenire ad tractum quemdam terræ satis longo spatio in mare procurrentem, quem nondum adierat.

Illud quoque consilium faustissimum fuit. Vedit nimirum hunc terræ tractum aquis subeuntibus inundari, recurrentibus vero magnam copiam testudinum ostrearumque in sicco destitui.

Maris ille locus quem circumnatavit, adeo piscibus abundabat ut fere manibus capi possent. Quod si reticulo instrutus fuisset, multa facile cepisset millia. Hoc autem adhuc carebat. Quum tamen omnia suscepta ei hactenus prospere cessissent, speravit fore ut aliquando piscatorium rete sibi conficeret.

His rebus jucundissimis lætus Crusoëus ex aqua emergit, quum horam fere integrum natando consumpsisset. Indusium quoque aëris calor penitus siccaverat; tum ille voluptate lintei mundi induendi fruitur.

Quum vero nunc consuevisset cuncta attente meditari, cogitavit hanc voluptatem non fore diuturnam, si quidem hoc unico indusio sibi nunc utendum esset, quo semel attrito nulla suppeteret ratio qua aliud compararet. Quæ meditatus gaudio simul et mærore affectus est. Attamen animo mox confirmato, domum reversus est, cœnam sumpsit, quumque Deum pie oravisset, placide se in lectulo composit.

## CAPUT OCTAVUM

*Lama mansuefacta—Pulli—Res variæ.*

POSTERO die Crusoëus prima luce surrexit, atque ad venandum sese accinxit. Assumptis igitur tuberibus solanorum assis, idoneoque testudinis frusto foliis involuto, securi instructus et laqueo quem pridie ad lamas irretiendas confecerat, umbel-lamque manu tenens, in viam se contulit.

Summum jam mane erat. Constituit igitur paululum a recta via digredi ut ex itinere alias quoque insulæ partes exploraret. Innumeræ inter volucres quæ arboribus insidebant psittacos miris coloribus pictos conspiciunt. Ut ille optabat unum ex iis capere, quem mansuetum atque socium sibi faceret! Adulti vero callidiores erant quam qui caperentur; pullorum autem nidum nusquam vidit.

Quum autem collem quedam mari vicinum ascendisset, conjectis inde oculis inter rupium hiatus, aliquid conspexit quod placuit proprius cernere. Descendit igitur et magno cum gaudio animadvertisit id esse . . . salem. Hactenus quidem pro condimento adhibuerat aquam marinam, quæ tamen salis meri præstantiam non æquabat. Aquæ enim marinæ sapor multum amaritudinis habet. Temere quoque ille putaverat carnem aqua marina conditam salubrem atque incorruptam servari posse, quippe quæ ubi motu caret non minus putrescit quam aqua e flaviis aut fontibus hausta. Valde igitur ei profuit sal hic repertus; itaque ambas ille peras eo complevit, quod statim domum deportaret.

Lætus deinde eum petiit locum ubi lamam se excepturum sperabat. Recubuit sub arbore, et expectabat qua hora solebant transire, atque interea carne assa et tuberibus epulatus est; quibus quidem, addito sale, sapor nunc longe jucundior erat.

Sub finem prandii, ecce lamas accurrentes e longinquo prospicit. Confestim insidiatus, expectat dum appropinquent; nonnulli jam præterierant, sed longius quam ut caperentur. Una tandem ex illis tam prope accessit ut collo laqueum injicere posset. Quæ quum balare conaretur, Robinson, ne cæteros deterreret, laqueum ita contraxit ut vox faucibus hæreret. Tum eam celerius in dumeta abreptam e conspectu cæterorum removit. Capta lama duorum pullorum mater erat. Qui quidem magno Robinsonis gaudio matris vestigia secuti, hominem minime timere visi sunt. Leniter illos Robinsoni demulcenti manum lambunt quasi orarent ut matrem dimitteret.

Voti igitur compos, captivam quamvis reluctantem, omni vi connisus, secum abstraxit, brevissimamque viam ingressus tandem feliciter domum revertitur.

Nunc ut hospites commode exciperet cœpit stabulum exstruere atrio suo contiguum; securi nempe lapidea teneras arbores excidit, quas ita denso ordine conseruit, ut parietem satis validum objicerent. Quam lamam nuper alligaverat arbori, fessa ea jam recubuerat; pulli autem captivi prope matrem nescii jacebant, et lac ab uberibus trahebant.

O pergratum Crusoëo nostro spectaculum! Iterum atque iterum constitit, carissimum pecus intuens, seque ipsum beatum prædicavit quod nunc animantes quosdam socios haberet. Jam sibi visus est vitam sine comitibus non amplius degere; unde tantam voluptatem cepit, ut viribus novis auctus brevi stabulum inchoatum perficeret. Tum lama cum pullis ibi inclusa, ostium densis fruticibus sepsit.

Quantam nunc lætitiam expertus est! Etenim præter jucundissimam illorum animalium societatem multa alia maximaque commoda inde speravit. Neque hoc frustra. Poterat aliquando discere qua arte ex eorum lana vestem sibi conficeret; poterat eorum lacte vesci, atque butyrum cum caseo inde parare.

Paulum aberat ut felicissimus esset, sed unum deerat. Optabat enim ut intra eundem parietem ipse habitaret cum grege, quem semper haberet ante oculos, quoties domi commoraretur. Hoc diu multumque in animo versavit. Quum tandem minime laboris pigeret, statuit alteram domicilii partem diruere, novamque in majus exstruere, qua atrium ipsum aliquantulum amplificaretur. Ut autem, dum esset in nova sepe serenda occupatus, tutus ipse habitaret, prudenter statuit veterem non prius evellere quam nova confecta fuisset; atque tanta fuit sedulitas, tanta diligentia, ut opere intra paucos dies perfecto, grata jam trium sodalium societate gauderet.

Lama etiam cum pullis brevi ad Robinsonem assuevit. Domum enim redeunti obviam subsultantes veniebant, odorantes an forte quidquam cibi attulisset, manumque lambentes, quasi gratias acturi pro gramine aut surculis ab ipso acceptis.

Tum pullis paulatim a matris lacte desuefactis, cœpit ipse bis quotidie illam mulgere; vaselorum vicem ei præstabant putamina cocossæ, et lacte jam potitus modo dulci, modo coagulato, quamvis solus non omnino infelix erat.

Quum arbor cocossæ tot ei tantaque præberet, illam propagare magnopere cupiit. Quomodo autem hoc efficeret? Audiverat ille quidem arboribus raimulos inseri posse; nunquam tamen hanc artem descendam curaverat. Tum saepius ita ingemuit: “Eheu! quam levis fui puer, qui omnibus ad doctrinam adjumentis uti noluerim! Si mihi melius consuluisse, nonne attendissem ad ea quæ tum oculis, tum

auribus meis subjiciebantur? O si mihi repuerascere liceret, quanta ego cura, ad omnia quæ hominum sollertia et labore perficiuntur, animum adverterem! ”

Ille igitur ut optatum finem assequeretur, nullam aliam rationem vidit, quam si e nueibus nonnullas sereret. Hoc ergo facere constituit, quanquam cibi adeo suavis et rari jacturam ægre ferebat. Nec multo post magna cum lætitia erumpentia quædam animadvertisit semina, quæ tepefacta vapore mirum in modum adoleverunt.

Lama mater pullique brevi eandem mansuetudinem induerant quam canes nostri solent. Hos ad se cœpit adjungere, iisque jumentorum loco commode uti, quoties aliquid grave aut supra vires hominis vehendum erat.

Jam pridem, quum esset in otio, animadvertebat quantæ sibi foret utilitati, si artem corbium texendarum intelligeret. Puer autem olim adeo istam artem despexerat, ut nullum unquam corbium opificem attentius considerasset; quo factum est, ut hujus artis, quamvis facilis, æque ac cæterarum artium, omnino rudis esset.

Quum autem in umbella texenda satis felix fuisse, subinde in posterum huic quoque artificio otium impendit; atque usu diuturno sollertior factus, idoneam tandem corbem confecit; et postquam duas ejusmodi texit, junctas funibus lamæ dorso imposuit.

## CAPUT NONUM

*Terræ motus—Mons igniromus—Lamæ vi aquarum abrepti  
—Spelunca Robinsonis diruta.*

SEQUENTE nocte, Crusoëus securus recumbebat; fideles lamæ ad pedes domini jacebant; luna splendebat de cœlo, aere puro tranquilloque; omnia denique in rerum natura alto silentio tenebantur. Jamque labore diurno fessus, dulci fruebatur somno; parentum vero imago, quæ crebro recursabat, ante oculos somniantis obversabatur. Tum subito terra insolito tremuit motu, tanto fragore mugituque tam horribili, ut multæ tempestates velut agmine facto ingruere viderentur. Insequitur frequens terræ motus, aliis alium; exoritur simul furens procella, qua arbores, qua ipsæ dejiciuntur rupes, et mare cum fremitu aestuans in imis sedibus conturbatur. Dixisses cuncta inter se præliari rerum primordia, atque ignem, aëra, aquam, terram, in exitium ruere.

Robinson mortis metu correptus e spelunca in vestibulum prosilit; prosilienteque exterriti lamæ sequuntur. Vix inde aufugerant, quum saxum in quo spelunca erat prolabitur. Ille, cui timor alas addiderat, per ostium vestibuli se proripuit, lamis eum prope insequentibus.

Primum autem eam petiit montis vicini partem quæ in nudam planitiem excurrebat, ne arboribus ipse coincidentibus obrueretur. Quo tendens, subito magno cum terrore ingentem hiatum in ea ipsa montis parte videt unde erumpunt

fumus, flammæ, favillæ, lapides, cum cinere quasi liquenti cui *lava* nomen. Vix etiam fuga morti se eripuit; quippe lava candens, torrentis instar, ruebat; magna præterea montis fragmenta hinc et inde disjiciebantur.

Tum ad litus procurrentem nova horrendaque rerum forma excipit. Turbo vehementissimus ab omni cœli parte nimbos collegerat quasi alios aliis impositos, unde tam gravis aquæ vis subito ruit, ut omnis regio aquis superfusis inundaretur.

Hæc inter mala Robinson, quid fugiat, quid petat incertus, in arborem vix se recipit; miseri autem lamae undarum æstu abripiuntur. Eheu! quam graviter illorum ejulatu animus ejus vulneratur! Quantopere vellet suo eos periculo servare, nisi fluctuum impetu longius abrepti fuissent!

Sæviit terræ motus adhuc paululum; tum repente omnia silent, venti residunt, hiatus igneū evomere desinit, fragor sub pedibus cessat, cœlo redit pristina serenitas, omnis etiam aqua brevi effluit.

Jam ex arbore in quam perfugerat descendit; sed animum curæ obruerant. Spelunca, quæ sola huc usque tutum ipsi refugium præbuerat, penitus diruta videbatur. Lamæ fideles carissimique ante ipsius oculos undis abstracti, omnia opera perierant; quæ in futurum moliebatur consilia omnia perierant. Mons quidem flamas evomere desierat, sed ex hiato tardus fumus aterque oriebatur, unde metuendum erat ne ille montis ignivomi naturam in posterum quoque retineret.

Tum curis et angore consumptus, ex qua descenderat arbore ad eam se reclinavit, et solatii expers reliquam noctem degebat.

Oritur dies novus, lux autem alma miserum Crusoëum jamdudum immotum deprehendit. Neque enim somnus duleis oculos ei clauserat; neque animum subierat alia cogitatio præter tristem illam luctuosamque: “Quid nunc de me fiet?”

Se tandem corripit atque somnianti similis ad vastatum domicilium titubans procedit. Quantam vero putatis fuisse ejus lætitiam quum haud procul a vestibulo carissimos lamas salvos incolumesque obviam sibi prosilientes conspexit! Initio, suis fidem oculis vix habuit. Brevi autem sublata est omnis dubitatio ; illi enim accurrere, manum herilem lambere, quantumque lætitiam ex ejus reditu caperent exultando et balando exprimere.

Tunc autem animus ei, hactenus fractus dejectusque, rursus erectus est. Lamas suos intuetur, oculisque in cœlum sublatis, lacrimas profundit. Tum amicos reduces lætissimis blanditiis excipit, iisque comitibus procedit, certiora de domicio visurus.

Atque ibi multo minus damni invenit quam primo metu et animi abjectione veritus erat. Laquear, quod saxo constabat, collapsum erat, atque proximam terræ molem secum traxerat: attamen omnia ista rudera e spelunca removeri posse videbantur, ita ut laxius ipse commodiusque habitaret.

Ad hoc accedebat aliquid ex quo intelligeret hoc sibi feliciter contigisse. Quum enim accuratius locum inspexisset ubi saxum illud depeuderat, magno cum stupore cognovit illud undique solo ita molli innixum fuisse ut male hæreret. Verisimillimum igitur erat molem hanc impendentem suo pondere brevi delapsuram fuisse. Tunc subito in genua prostratus gratias Deo egit quod sic iterum servatus fuisset, ac deinde alacriter ad opus se contulit.

## CAPUT DECIMUM

*Crusoëus domicilium reficit—Parat sibi alimenta in hiemem  
—Imbris continuis impeditus domi, fingit vasa—Nectit  
rete—Arcum et sagittas conficit.*

HUMUM profecto arenamque haud difficile erat subducere; supererat autem ingens saxum in duas partes diffisum, quibus movendis unus homo impar videbatur. Conatus est Crusoëus partem minorem provolvere, sed frustra; et nunc iterum omni omissa spe, hæsit inops consilii.

Recordatus est tandem se puerum vidisse, quoties operariis aliquid magni ponderis erat moliendum, pertica eos longa crassaque uti cuius extremam partem moli movendæ subjicerent. Itaque ejus rei experimentum facere properat. Peracta vix horæ parte dimidia, saxa quæ vix quatuor homines junctis viribus mouere potuissent, e spelunca extracta sunt, et mox laetus admodum vidi domicilium suum et latius et tutius quam antea esse. Jam enim parietes non minus quam laquear ipsum saxo constabant, nec vel minima quidem rima perspiciebatur.

Tunc ad montem ignivomum, qui vaporem atrum emittere nondum desierat, propius accedere audet. Miratur ingentem saxorum liquefactorum copiam quæ longe lateque diffusa necedum etiam refrigerata erant. Quum animadvertisset lavam ad eum locum effluxisse in quo solana crescebant magnopere timuit ne torrens igneus totam istam regionem

vastasset. Itaque quum eo se contulisset, magno cum gaudio cuncta bene se habere deprehendit. Et continuo statuit variis in partibus insulæ suæ solana serere, ne quo casu sinistro fructum tam egregium amitteret.

Interim quum mons fumum emitte desiisset, ad hiatum ipsum accedere ausus est. Latera quoque et imam partem ejus lava refrigerata opertam invenit; quumque nusquam vel minimum inde oriri fumum videret, non sine causa existimavit ignem sub terra penitus extinctum, neque in posterum sibi ejusmodi eruptionem esse extimescendam. Qua spe confirmatus, ad alimenta in hiemem colligenda animum convertit. Hoc motus consilio, octo lamas subinde eodem modo cepit quo priores. Istos omnes mactavit, excepto hirco, quem socium tribus suis lamis jam cicuribus adjunxit, maximamque carnis partem supra focum suspendit, quæ fumo siccaretur.

Jam igitur copiam haud modicam carnis sibi paraverat. Nihilominus tamen veritus est ne sub finem hiemis, si forte asperior futura esset aut longior, inopia ciborum oppimeretur. Itaque nonnullos etiam lamas capere voluit. Illi vero insidiis hominis cognitis cavere sibi didicerant. Novis igitur utendum erat artibus quibus illos exciperet. Neque hoc ei non successit; tanta ingenii humani vis esse solet ad res necessarias sibi comparandas! Animadverterat nimirum lamas, quoties eum ad fontem conspexissent, semper celerrime per collem quemdam ad arbusta properare. Hujus collis pars altera erat dumetis cincta, altera autem prærupta duarum fere ulnarum altitudine, unde lamæ saltu se dejicere solebant.

Statuit igitur fossam altam eo loco cavare in qua lamæ desuper prosilientes caperentur. Labore indefesso intra paucos dies novum hoc opus confectum est. Tum fossam virgultis texit. Postero autem die magnopere lætatus est, quum duo ejus generis animalia in eam desiliisse animadvertisset. Quibus captis, tantam habuit carnis copiam, quanta

per hiemem quamvis longam abundanter sufficeret. Tum ut hiemem jam instantem caveret, fœnum lamis parandū, ligna ad ignem fovendum colligenda, solanorum tubera effodienda, eademque in cella condenda erant. E fœno, cuius magnam copiam collegerat, acervum struxit, qualem agricolæ nostri struere solent. Quoties vero fœnum addebat, illud ita pedibus impressis conculcaba ut haud facile pluvia posset interlui. Insuper ut magis etiam imbribus defenderetur, tectum ex arundinibus confecit, haud infirmius iis quæ culmo apud nos teguntur. Dies proximos ligna arida colligendo impendit. Tum tubera solanorum effodit, nec parvam eorum paravit copiam. Quibus in cella conditis, decussit quoque omnia mala citrea quæ matura erant; jamque victum suum minus curabat. Hiems vero, exacto jam mense octobri, nondum venerat. Immo potius continuis imbribus ita pluebat ut aer in aquam mutatus videretur. Nec satis liquebat quænam hujus rei causa esset. Quindecim dies practerierant, ex quo non longius domicilio suo progressus fuerat quam ad cellam, ut alimenta et aquam sibi lamisque peteret. Reliquum tempus omne veluti captivo homini degendum fuit.

Eheu ! quam tarde tempus nunc ei trahi visum est, nihil agenti, homini solitario ! Nunc perspexit quam vera essent quæ sæpius magistri olim præcepissent : eas opes esse parandas quæ una cum naufrago possent enatare.

“O me in pueritia stultum,” sic enim dicit, “qui scribere aut legere tam molestum, otiali vero jucundum existimarem ! O utinam quas olim aspernatus sum doctrinas memoria jam tenerem ! Ex illis enim id nunc depromerem quod esset non solum vitæ oblectatio, sed etiam levamentum miseriarum.”

Cujus otii pertæsum necessitas coegit ut varias res gerendas susciperet quas nunquam antea tentaverat. Jam diu consilium ollæ aut lampadis fabricandæ animo agitabat, quibus quidem auctus, in meliori sane conditione versaretur. Itaque,

quanquam pluebat, terram argillaceam studiose conquisivit, opusque orsus est.

Quod quidem certe non statim ei ex voto cessit. Iterum iterumque tentandum erat, et dies nonnullos grato in labore transigebat, donec tandem ollam fictilem cum lampade absolvisset. Quas non procul ab igne collocavit ut paulatim arefierent. Tum alias etiam ollas, cacabos catinosque varia forma variaque magnitudine fingere instituit; atque ut ille plurimum operæ in his artibus posuit, ita maximam sollertia adsecutus est.

Magnum opus fuit ac difficile fictilia vasa vitro ita incrustare ne liquore madefierent. Sed quum nihil intentatum, nihil inexpertum relinqueret, vicit patientia.

Interea pluere non desiit. Quamobrem necesse ei fuit varia fingere opera ne misere tædio conficeretur. Proxime autem operam nectendo reti piscatorio navat. Jam antea non parvam copiam funiculorum nunc valde opportunam contorserat. Quum enim otio abundaret et patientissimus laboris rem decies et amplius male inceptam retractaret, invenit tandem qua arte nodos faceret.

Tum venit ei in mentem tentare ut arcum et sagittas conficeret. Quanto studio animus flagravit, quum hæc secum agitans multa recenseret commoda quæ inde esset percepturus! scilicet lamas interficere, aves dejicere, et quod erat potissimum, se ipsum in domicilio defendere posset. Itaque tanta cum incessit cupidus arcus perficiendi ut pluvium carentem paruin curans, ad conquirendum lignum procurrerit. Cui tamen consilio quum quodlibet lignum aptum non existimat, ejusmodi quæsivit quod durum idem ac lentum esset, ut et facile flecteretur et in pristinam fere formam rediret.

Tale ergo lignum inventum atque decisum domum deportat, confestimque opus aggreditur. Tum vero cultris egenti quanta visa est inopia! Quanquam iterum iterumque secabat,

vix tantum profecit quantum nos cultris chalybeis instructi uno ictu proficimus. Ab ortu quidem usque ad occasum diei operi intentus erat, sed necesse fuit ut octo dies integros huic labori impenderet. Valde tandem laetus est, quum arcum nono die perfectum videret; neque tunc præter nervum et sagittas quidquam desiderabat. Quum vero funem quam firmissimum contorsisset, ad sagittas fabricandas se accinxit.

Jam si ferrum habuisset quod sagittis præfigeret, quanti, quæso, hoc æstimasset! Frustra autem in votis illud habuit. Dum igitur rem mente agitat, tandem meminit se audiisse homines feros ossibus magnorum piscium aut silicibus acutis uti ad sagittas hastasque acuendas. Protinus illos statuit imitari. Consilium quoque iniit hastæ confiendæ. Quorum utrumque statim agressus, ad litus accurrit ibique ossa piscium lapidesque aptissimos invenit. Tum perticam longam et rectam amputat hastæ vice functuram, pluviaque madidus domum revertitur. Intra paucos dies et hasta et sagittæ confectæ sunt. Tum hastam præfigit lapide præacuto, ac deinde sagittas, hinc ossibus piscium robustis, inde pennis ad extremam partem additis, alites facit. Quo facto placuit arcus experimentum facere. Qui quidem, quanquam multa deerant, quod ferreis instrumentis non fuerat instructus, attamen satis idoneus visus est dejiciendis avibus minoribusque aliis animalibus. Neque dubitavit fore ut hominem ferum nudumque, si quidem satis appropinquasset, eo graviter esset vulneraturus.

Attamen pluvia nondum cessaverat, sed duobus tandem peractis mensibus cœlum cœpit nitescere. Nunc Robinson hieinem adventare putavit, quum jam contra hiems exacta esset. Vix suis ille oculis fidem habuit, quum alma veris vi nova gramina, novos flores, novos surculos emergentes cerneret. Etsi causam non intelligebat, res tamen ante oculos erat. "Hoc profecto," ita se ipse alloquitur, "me in posterum monebit ne quid rejiciam, cuius rationem animo perspicere nequeam."

## CAPUT UNDECIMUM

*Summæ Robinsonis miseriæ—Ab insectis infestatur—Vestes ex pellibus sibi conficit—Incidit in gravem morbum.*

ATTAMEN multum aberat ut Crusoëus omnia haberet quæ ad victum cultumque vitæ requiruntur. Omnes ei vestes usu diurno contritæ diffluebant, nec satis videbat quonam modo novas confecturus esset. Cui quidem tum non contra frigoris vim vestibus opus erat sed ut sese ab insectis defenderet, quibus insula abundabat et quorum morsibus excruciat, tumidis fere semper manibus genisque. Quanti porro dolores eum manebant, vestibus omnino laceratis! Neque multum aberat ut hæc pateretur.

Ad hanc calamitatem accedebat quod parentum societasque humanæ desiderio animus ejus saepe angeretur. Quam ob rem non raro ingemuit, quum e litore oculis madidis et languentibus oceanum circumspectaret immensem, neque aliud præter aquam, præter cœlum, conspiceret. Quoties animus ei dubia spe pendebat, e longinquo prospicienti nubeulam ex æquore quasi emergentem, quam sibi cogitatione navem malis velisque instructam fingebat! Caeca nondum cupidine deceptus, quanto luctu, quanta animi ægritudine oppressus, domum revertebatur!

Veritus autem ne qua navis insulam præterveheretur aut etiam apud eam ipso absente, ancoras jaceret, in tumulo quodam eminenti signum erigere statuit, quo adpellentibus

suam calamitatem indicaret. Stabat pro signo tignum ex quo tunica, ut erat omnino attrita, suspenderat; verba quoque palo inscribere voluit quibus miseram suam conditionem apertius significaret. Qua vero ratione? Nullum quidem illi consilium, nisi ut litteras cultro lapideo insculperet; quanam autem lingua?

Si enim Gallicum vel Anglicum sermonem usurpasset, fieri poterat ut navis Germanica, aut Hispana, aut Lusitana adpelleret, in quibus nemo navigantium significationem verborum intellecturus esset. Forte nonnullas voces Latinas recordatus est quibus votum suum exprimeret.

Linguæ enim Latinæ nulla erat Europeanorum gens omnino ignara, et plerique eorum qui liberaliter instituti sunt aliquantulum certe intelligunt. Propterea speravit fore ut in qualibet navi quæ eo deferretur unus saltem reperiretur inscriptionis istius interpres. His verbis constabat:—

*Ferte opem misero Crusoëo*

Sic illi nonnihil profuit verba aliquot Latina meminisse.

Jam inopia calceorum et tibialium maxime laboravit. Quibus scilicet sensim omnino dilaceratis, muscæ nudos pedes stimulis fodiebant. Quoties sedebat meditatus quomodo corpus tegeret! sed frustra. Carebat enim et instrumentis simul et arte quibus finem assequi posset. Tandem pellibus lamarum quos mactaverat facillime vestiri posse se existimavit. At istæ crudæ rigidæque erant, neque unquam ille curaverat qua arte in parandis pellibus crudis coriarii uti solent. In qua si versatus esset, nec acu, nec filis instructus erat, quorum ope e coriis vestimentum sibi consueret.

Cæterum necessitas, omni arte et doctrina efficacior, eum admonuit quomodo inopiae suæ mederetur. Pellibus igitur sumptis, cultro siliceo, non sine magno labore, calceos

primum, tum tibialia quoque secuit. Quæ quum consuere non posset, incisis foraminibus fila trajecit quibus ea circa tibias religaret.

Ex alio quodam corio curvo rigidoque larvam confecit quam duobus perfodit foraminibus per quæ acies oculorum penetraret, tertiumque quo spiritum ore duceret.

Statuit a labore omnino non desistere, donec tandem tunicam braccasque e pellibus lamarum perfecisset; et certe res erat maxime operosa; quid autem est quod sine labore homines assequi possint? Nihil vero tam arduum quod non expugnet pertinax labor. Illi quoque res ex voto cessit; id quod eum tanta affecit lætitia quanta verbis exprimi non posset.

Jam Robinsoni habitus vestitusque vere mirifici fuerunt. A capite ad calcem pellibus villosis horridus; gladii loco, securi lapidea cinctus; gerebat humeris peram venatoriam, arcumque cum fascieulo saggittarum; dextra hastam ipso longiorem, sinistra umbellam textam viminibus atque foliis cocossæ obsitam; pro pileo denique corbem præacutam et pellibus setosis tectam. Cogitate, quæso, qualis aspectus hominis fuerit. Risum ipse non tenuit, quum suum lympharum in speculo simulacrum aspexisset.

Hæc inter casu quodam impeditus est quem jam diu metuebat; in morbum incidit.

Ac primo stomachi capitisque doloribus affectum, et omnibus membris fatigatum se sensit, summoque demum animi angore et debilitate oppressus in terram collabitur. Vocis expers atque sensus, oculos in cœlum defigit. “Alme Deus! miserere mei!” Hæc sola subinde magno cum gemitu eloqui poterat.

Neque tamen diu curis consumptus quiescere potuit. Quum quidquid virium supererat collegisset, ea quæ ad curam sui maxime necessaria essent prope stratum ponit, ut, si

propter vim morbi surgere non posset, haberet tamen quo paululum sublevaretur; sed vix valuit nonnullas cocossæ conchas aquæ plenas inducere, quas juxta stratum collocavit. Tum aliquot tubera trita et quatuor mala citrea, quæ reliqua habebat, addidit: quo facto, exhaustis viribus in lecto recubuit; ac brevi febri correptus est. Quanquam pellibus lamarum se totum texerat, a frigore tamen se defendere non potuit. Quo frigore duas fere horas cohorruit. Tum aestus tam vehemens insequitur ut viscera penitus urantur. Peretus crebro concutitur pulsu, sicut solet celerrimo cursu anhelantibus. Tanta autem ejus imbecillitas fuit, ut vix concham aqua repletam labris adinovere posset. Jamque nox oborta erat. Qua quidem nocte tristiorum nullam unquam ille degerat.

Frigore vicissim contremuit et arsit calore, acerbissimo continuoque capitis dolore cruciatus; neque somno recreatus est. Quibus malis adeo frangebatur, ut proximo mane vix posset reptare ad ligna alendo igni necessaria.

Ad vesperem morbus ingravescit. Iterum igni corpus ægrum admoveare conantem vires deficiunt. Itaque nunc spes omnis salutis abjicienda fuit, et in eo sensit se esse ut moreretur.

Nox hæc illi similis fuit; ignis insuper extinctus est; aqua in conchis cœpit putrescere; Crusoë adeo vires deficiunt, ut vix se in lecto commovere valeat. Mortem quoque approxinquantem sentire sibi visus, tantam inde letitiam cepit, ut ea ipsa confirmatus, piis precibus se rite pararet ad iter illud ineundum unde negat quemquam redire.

Deum peccatorum veniam supplex rogavit; quo facto gratias ei egit pro beneficiis in se per totam vitam indignum collatis, imprimis autem pro calamitatibus quibus ipsum castigavisset; postremo parentibus suis miseris solatium atque felicitatem precatur; tum animum immortalem Eterno Patri commendavit; et postquam se composuit mortem expectabat.

---

Quæ quidem visa est gradum corripere ; angoribus enim ingravescientibus pectus anhelare atque suffocari cœpit. Op-tatum tempus tandem videtur advenisse. Vehementissimo angore compressus jam non spirat ; tum capite reclinato, pæne exanimatus et in lectulo resupinus porrigitur.

## CAPUT DUODECIMUM

*Convalescit ex morbo—Maximi luctus—Parva gaudia—  
Psittacus.*

ATTAMEN spiritum facilius trahere cœperat; tum sublatis paulatim oculis circumspexit, satis incertus animusne suus e corpore migrasset, necone. Jam vero minime dubium erat quin viveret. Neque tamen ergo gaudebat; mortem enim in isto rerum articulo vita potiorem habuisse. Magna quoque infirmitate oppressum se sensit, doloris tamen expertem. Quum enim antea æstu ardenti flagrasset, nunc sudor plurimus salubrisque per omnes artus manabat. Atque ne intercluderetur, pellibus additis se texit, et sic post dimidiam circiter horæ partem magnopere allevari sibi visus est. Jam vero siti exarsit vehementissima, cui explendæ quum idonea non esset aqua putredine corrupta, opportune malorum citreorum meminit. Adeo autem infirmus erat, ut unum labris aegre ad moveret; cujus tamen succo egregie refectus, sudore continuo effluente, dulci somno sopitus neque nisi sole oriente experrectus est.

Tunc vero vis morbi omnino laxata erat, neque, præter infirmitatem virium, quidquam mali superfuit; cibum quoque appetere cœpit, bulbumque solani frixum comedit, instillato mali citrei succo quo saporem ejus jucundiorem efficeret et palato refrigerando aptiorem.

Lamarum suorum curam, quamdiu aegrotus jacebat, peni-

tus deposuerat. Nunc autem valde commotus est, quum eos ad pedes suos videret jacentes, oculis in se defixis, quasi ipsum interrogarent num melius valeret. Est autem illud animalium genus a natura ita comparatum, ut camelorum instar, plurimos dies sine potu degere possint. Alioquin male cum iis actum fuisset. Per dies enim duos aquam non biberant, needum etiam Robinson, præ corporis imbecillitate, surgere aquamque iis ministrare potuit.

Quum lama mater ad eum satis appropinquasset ut hanc posset attingere, tum levato corpore in cubitum, dextra eam mulxit, ex cuius tepidi lactis haustu plurimum accepit levaminis. Quo facto rursus dormiebat usque ad solis occasum. Nunc autem cibi major fuit appetitus. Itaque nonnulla solanorum tubera succo mali citrei aspersa comedit, ac denuo somnus eum complexus est.

Quæ quies dulcissima, ut in corpore natura robusto, tantopere ad vires ejus reficiendas valuit, ut proximo mane surgere, et pedetentim progredi auderet.

E spelunca in vestibulum titubans prorepit. Ibi solis orientis radii, inter frondes vicinarum arborum nitentes, jucundo eum calore recreant. Sibi recens esse natus videtur; Deo, vitæ fonti æterno, gratias agit quod sibi denuo intueri liceat sidus illud pulcherrimum mirandaque summi rerum Conditoris opera. Nunc asperit cœrulei cœli immensitates, nunc recentem et aënænam arborum fruticumque rore madentium viriditatem, nunc lamas fideles qui circumstantes domino blandiri et lætitiam videntur indicare.

Mox autem faventibus aere puro et aqua frigida lacte temperata, neconon placida mentis serenitate, penitus convaluit. Brevi quoque viribus recuperatis, ad opera instituta se rettulit.

Hoc unum tunc ei molestum fuit quod ignis extinctus esset. Verumtamen magna cum animi moderatione hunc

casum tulit, nec spem omnino amisit, quippe qui nunc expertus foret nihil esse cur adversus hiemis inclem tam sibi jam caveret; atque etsi ab ineunte aetate carne vesci consueverat, speravit tamen fore ut ea carere solisque fructibus et lacte lamarum vitam sustentare posset.

Quid nunc suscipiat, confectis omnibus que manibus sine ullius instrumenti auxilio confici possent? Nihil ergo sibi superesse putavit, nisi ut in otio et somno vitam consumeret. Qua quidem conditione miseriorem sibi fingere nullam potuit. Jam enim tantopere labori assuetus erat ut vitam intolerabilem existimaret, quoties utili operae vacare non licet; itaque diu multumque secum reputabat quemnam laborem nunc capeseret, ut fugeret otium. Invenit tandem in quo operam suam collocaret.

Diu noctuque animo versaverat consilium naviculae conficiendae, cuius ope tentaret ut in societatem hominum rediret, atque se ab ea solitudine eximeret quam graviorem erat expertus ex quo ignis usum amiserat. Nec temere terram Americanam haud procul abesse augurabatur. Statuit autem, si modo scaphulam sibi parare posset, spretis omnibus periculis, continentem petere. Quum totum se huic consilio tradidisset, procurrit aliquando ad eligendam arborem cuius truncus in formam cymbae cavaretur. Hac mente loca nonnulla perlustrans que nondum inviserat, varia ignotarum plantarum genera detexit, in quibus constituit experimenta facere ut intelligeret an iis quoque vesci posset. Inter alias frutices nonnullos invenit frumenti Indici.

Miratus ille spicarum magnitudinem in quibus supra ducenta grana denso ordine structa erant, non dubitavit quin panis ex iis confici posset. Quomodo autem grana moliturus erat? quomodo farinam furfure purgaturus? quomodo tandem pane ininde cocturus, quum careret igne? Nihilominus tamen aliquot spicas inde secum abstulit, quarum

---

grana sereret: "Quidni," sic ait ille secum, "fieri possit ut ex iis aliquam olim utilitatem percipiam?"

Postea vero repperit arborem quoque frugiferam in quam antea non inciderat. Capsulas crassas ab arbore pendentes vidit, quarum unam quum confregisset, sexaginta circiter fabas invenit. Quamvis saporem jucundum in iis non cognosceret, attamen unam ex iis, quae sibi maturior visa est, peræ suæ commisit. Erant fabæ CACAO TICÆ, e quibus potus CACAO-TICUS paratur.

Tandem arborem ingentem sibi prorsus ignotam invenit, cuius fructus nuces cocossæ magnitudine æquabant. Qui quum putamina nulla haberent, saporem vero jucundissimum, toti comedì poterant. Arbor ipsa multum dissimilis cocossæ erat. Neque enim huic, sicut cocossæ, truncus erectus, neque in coronam magnorum foliorum superne desinit. Postea comperit arborem eam esse quam paniferam appellamus, propterea quod fructus ejus vel crudi, vel comminuti atque dependo subacti, barbaris hominibus vicem panis præstant.

Inter redeundum, quod jam diu optabat, nidum psittaci invenit. Tum circumspiciens qua parte facilime locum invadat, pede suspenso accedit. Vigilabat in sede extra nidum prominente mater pullis incubans, et ad aspectum inusitatæ formæ aliquid mali suspicata, aciem oculorum arrigebat ad periculum. Retractis virgultis Robinson per densissimas frondes concendit. Sed quo proprius accedit strepitus foliorum, eo magis matris crescebat sollicitudo. Ac demum homo adest, manumque nido injicit. Avolat mater, avolant adulti jam validiores; unus cæteris tardior in manibus hæret; Crusoëus domum properat, hilarius quam si thesaurum auri nactus esset.

Tum redux quam sollertissime potest caveam concinnat, in qua hospitem novum collocet. Qua quidem juxta stratum suum posita, tam lætus recubuit quam qui novum sibi amicum comparavit.

## CAPUT TREDECIMUM

*Multus labor in excavanda scapha—Crusoëi constantia—  
Quomodo diem inter varias occupationes distribuit—In  
bellicis artibus se exerceet.*

NULLUM unquam negotium tam moleustum tamque diuturnum suscepserat, quam quum cymbam fabricare adortus est. Multi alii animum abjecissent, e manibus securis brevi excidisset, et tale susceptum visum fuisset, sin minus stultum, at saltem ejusmodi quod fieri nullo modo posset. Robinson autem hanc legem sibi fecerat ut nullis laboribus ab ullo unquam incepto deterreretur. Itaque hoc etiam summa animi constantia persecutus est; et si illud multo plus et temporis et curæ postulasset, ei in mentem non venisset a proposito recedere. Jam satis intellexit illi opus pluribus annis esse; dies igitur ita dividere decrevit, ut cuilibet horæ suus labor attribueretur. Experientia enim Crusoëus edoctus erat nihil majori ad industriam promovendam adjumento esse, quam si certo ordine inter singulas diei horas labor apte disperiatur. Hoc enim modo augentur temporis momenta quæ suo quæque usu distinguuntur.

Itaque oriente sole surgere consueverat et ad fontem se conferre, ut caput, manus, pectus, pedesque ablueret. Deinde domum reversus vestes induebat. Quo facto, collem speluncæ imminentem descendere, unde longe lateque circumspicere posset, atque ibi in genua prostratus preces matutinas fundere,

Deumque orare pro carissimis parentibus quorum, etsi eos deseruerat, nunquam oblitus est. Tum lamas mulgere quarum gregem non ita contemnendum paulatim educaverat. Deinde aliquam lactis partem haurire. Quibus peractis prima diei hora effluxerat.

Ita omnibus rebus instructus quæ sive ad tutelam sui, seu ad laborem pertinerent, ibat tum ad litus, si mare recederet ostreas in prandium collecturus, tum ad arborem ex qua navem fabricare statuerat.

Sub horam quintam, quum diei fervidissimum tempus esset, laborem intermittebat. Tum litus repetebat, aut ostreas conquisiturus, si modo mane non invenisset, aut corpus lotorus, quod bis quotidie facere in morem ei venerat.

Deinde iterum lamas mulgere, caseos ex lacte coagulato premere, prandiumque mediocre instruere quod fere lacte, et caseo recenti, nonnullis ostreis, cum dimidia nuce constabat. Nec illi querendi locus erat quum in fervidis istis regionibus ciborum appetitus multo minor sibi quam sub cœlo frigidior esset. Attamen solitus a puero carnem edere, illam tundendo emollire denuo conatus est, ut aviditatem expleret ; sed frustra. Inter prandendum cum psittaco suo confabulari solebat, quem nonnulla verba eloqui docuerat. Seilicet audiebat discipulus et reddebat sonos, in vicem reticens ut qui mente verba agitaret. Hunc quoque assuefacerat se vocantem audire et euntem sequi.

Post prandium, horam quieti sub umbra aut in spelunca dabat, stante ad latus psittaco et lamis circa dominum recubantibus. Tum ille interdum sedens, animalia ista, in quæ defixos tenebat oculos, alloquebatur, verba sua intelligi ratus ; adeo ille gestiebat cum quolibet animante mentis cogitationes sensusque communicare, ut saepius oblivisceretur se cum animalibus rationis expertibus sermonem habere. Quoties autem psittacus vocem distinete emittebat, tantum erat domino

gaudium, ut humanam vocem audire sibi videretur, atque insulae, lamarum, psittacique oblitus, se inter homines versari sibi cogitatione fingeret. Sed quum brevi evanesceret error ille blandissimus, tum ad memoriam solitudinis revolutus, hoc modo ingemiscebat : “ miserum Crusoëum ! ”

Sub horam a meridie secundam ad arborem reversus, rursus magno operi instabat. Quo in labore durissimo quotidie duas horas consumere sibi præceperat ; quibus peractis redibat ad litus, quum ad corpus denuo abluendum, tum ad ostreas conquireendas. Reliquam diem variis operibus in hortis impendebat ; nunc triticum aut solana serere, sperans fore ut olim, igne recuperato, commodis suis et utilitati servirent ; nunc teneras stirpes insertas irrigare ; nunc sepes serere quibus hortum clauderet ; nunc arbores circumcidere, ramosque flectere qui sibi umbram hospitalem ministrarent.

Sub horam diei duodecimam, si modo nihil majoris momenti agendum superesset, sese in bellicis artibus exercere, arcum tendere, sagittas emittere, ut, si quando incideret in barbarum hominem aut ferum animal, satis se defenderet. Quarum quidem artium tantam paulatim peritiam adeptus est, ut raro, quamvis longo interposito intervallo, a scopo, nummi magnitudinem æquante, aberraret. Vesperascente cœlo, lamas tertium mulgere, et stellis aut luna lucentibus, parce cœnare.

## CAPUT DECIMUM QUARTUM

*Robinson insulam peragrat — Vestigia hominum reperit —  
Summus terror—Prospicit crania, ossa, manus, pedes—  
Quod territo et fugienti accidit.*

CRUSOËUS assiduam per tres annos navi conficiendæ operam dederat, trunco vix dimidia quidem parte exciso. Incertum quoque videbatur an illud, etsi eadem assiduitate operi instaret, trium aut quatuor annorum spatio perfecturus esset; nec tamen in suo studio atque opere cessavit; quid enim aliud susciperet? neque vero illi placuit neque licuit otioso esse.

Forte tandem in mentem ei venit se, quanquam jam diu in insula ista habitabat, non nisi minimam partem adhuc explorasse. Timorem istum quo impeditus insulam totam nondum peragrarat objecit sibi ut animi vitium. “Forsan,” ita secum locutus est, “si minus ego timidus fuissem, multa invenissem quæ nunc mihi maximæ utilitati essent.”

Quæ quidem cogitatio animum impulit ut illico statueret proximo mane in viam se conferre; eoque ipso die omnia ad iter faciendum paravit.

Postridie, orto sole, uno e lamis dierum quatuor victu onerato, armis ipse indutus fidenti animo viam ingressus est. Constituit, quantum fieri posset, litus sequi, neque silvestribus locis se committere, ne in feras incideret.

Primo die nihil ei in itinere memorabile accidit. Sex

millia circiter illo die confecit, et quo longius progrediebatur, eo certius comperit se in sterilissima insulae parte sedem constituisse. Multis nimirum in locis arbores invenit vario fructuum genere abundantes, unde victum non salubrem minus quam jucundum petere potuisset. Horum usus nominaque postea didicit.

Primam noctem in arbore egit, ut tutus a feris esset; et postero die iter persecutus est. Nec multum viæ confecerat, quum extremam insulae partem ad meridiem attigit. Solum nonnullis in locis erat arenosum. Dum autem tendit ad tractum terræ in mare procurrentem, ecce pedem retro fert; tum pallescere, contremiscere, oculos circumferre, et subito hærere quasi fulmine repentino ictus. Vidit enim quod hic visurum se nunquam speraverat, vestigia hominum arenæ impressa!

Tum ille territus undique circumspicit; audito vel levissimo foliorum strepitu stupet, sensusque ei adeo perturbantur ut stet inops consilii. Tandem collectis viribus fugam corripit, quasi instarent a tergo, neque præ terrore respicere ausus est. At ecce repente substitit. Metus in formidinem vertitur. Videt nimirum fossam rotundam atque in medio ignis extinti focum. Quem circa (horresco referens) crania, manus, pedes, aliaque corporis ossa aspicit, execrandas reliquias convivii a quo natura abhorret. Scilicet tunc temporis in insulis Caraibicis feri homines degebant, *cannibales* vocati aut *anthropophagi*; quibus sollemnis erat consuetudo captivis mactatis atque assis immanes epulas celebrare, in quibus atrociter debacchabantur, saltantes, canentes, vel potius satiata feritate ululantes.

Oculos Crusoëus ab horribili spectaculo avertit. Nausea etiam correpto vires illi omnino defecissent, nisi stomachum vomitu levasset. Ubi primum paululum refectus est, fugit tanta velocitate ut fugientem fidelis lama vix sequi

posset. Tantopere vero mentem Robinsonis formido alienaverat, ut lamae sui plane oblitus, auditu sequentis socii gressu, instantem a tergo sibi cannibalem fingeret, omnibusque viribus effugere conaretur.

Jamque ne cursum morarentur, hastam, arcum, sagittas, securim abjicit; quam sibi videt expeditiorem, eam viam potiorem habet, iteratisque per totam horam ambagibus efficit ut circumeundo ad locum eundem unde aufugerat redierit. Tunc alterum portentum animum ejus attonitum occupat. Quo in loco versetur non agnoscit, nec animadvertisit eundem esse quem antea viderat; putat invenisse se novum immanitatis eorum quos fugit monumentum. Itaque violentissimo impetu se proripit, neque prius currere desiit quam fessum cursu corpus vires desererent. Tunc omnino exhaustus sensuque orbatus procidit. Huc quoque lama advenit, neque minus quam ille fessus juxta dominum procumbit. Forte is ipse erat locus ubi antea Robinson arma abjecerat. Itaque oculis non multo post apertis, hæc prima in gramine conspexit. Quod quidem somnium ipsi omnino visum est, nec intelligebat quomodo et arma sic jacerent et ipse in eum locum venisset: tantopere formido animum ejus perturbaverat.

Brevi surrexit ut locum eum quam celerrime relinqueret. Sed tunc paululum consilii compos, nec tam imprudens ut armorum oblisceretur, statuit ea non exuere quibus solis vitam poterat defendere. Tantopere autem erat debilitatus, ut, instante quidem metu, non tamen eadem qua antea perniciitate fugeret. Per totum reliquum diem cibi cupiditatem plane amisit, semelque tantummodo substituit ut sitim fontis aqua restingueret.

Frustra speravit se eodem die ad sedem suam perventurum. Obscura jam luce, dimidiā circiter horæ partem aberat a domicilio, eo scilicet in loco quem rusculum suum vocaverat. Quippe spatium erat clausum, et satis amplum, in quo partem

gregis coerebat, quia nempe pinguiora ibi quam prope domicilium suum crescebant gramina. Ibi nonnullas noctes superiori aestate degerat, ne ab insectis quæ eum domi fodiebant vexaretur. Sed viribus omnino exhaustis longius progreedi non poterat. Etsi periculosisimum ei videbatur pernoctare in loco nullis presidiis munito, attamen necessitati parendum erat. Vix tamen huini se prostraverat, quum neque omnino sopitus, neque omnino vigil, in ambigua somni expectatione, ecce subito terrore perhorruit.

Vocem audivit veluti cœlo demissam haec verba proferentem: Ave, Robinson.

Ille perterritus exsilit toto corpore contremiscens, et inops consilii. Mox iisdem iterum auditis, oculos in eum locum timide convertit unde vox profecta erat. Tum vidit, quod cuivis sane ignavo in promptu fuisse, si rem, priusquam animus perturbatus esset, paulo attentius perpendisset; vidit se vano metu territum fuisse; quippe vox illa profecta erat non de cœlo, sed de ramo in quo carissimus sibi insidebat psittacus. Tum vero metus in lætitiam vertitur quod causam rei invenisset. Manum psittaco porrigit; ille devolat, dumque mutuis alter alterum blanditiis excipit, psittacus dictatain salutationem geminabat.

Ipse autem totam fere noctem insomnem traduxit, ut cibi ita quietis immemor, quippe qui fremitum quemque auribus captabat. Semper occurrabant oculis feri homines, frustra animum a fœda cogitatione abducere conabatur. Tum ut se tutiorem in futurum præstaret, cœpit plurima animo consilia, eaque stultissima, agitare. Ex quibus unum, quod incredibile videbitur, hoc erat: ut die oborto omnia adæquaret solo quæ tanta diligentia, tanto labore, extruxerat; ne vel minimum quidem humanæ industriæ vestigium deprehendi posset.

## CAPUT DECIMUM QUINTUM

*Epulæ immunes—Prælium—Fortitudo Crusoëi—Friday servatus.*

CUM prima luce novum Crusoëo consilium. Quod heri prudenter, quod necessitas suadebat, tunc stultum esse atque inutile judicavit. Consilia deum minus considerata et a timore orta nunc abjicit, et ad meliora rationique magis consentanea animum convertit. Nunc enim, nocte interposita, intelligit timorem hesternum nimium fuisse. “Jamdudum,” sic ait ille secum, “hic solus commoror, nec ullus unquam homo ferus mihi obviam venit; ex quo satis patet suum eos in hac insula domicilium non habere. Verisimile est, aliam eos incolere regionem unde nonnulli huc veniunt ut victorias atrocibus epulis concelebrent, eosque ad eam insulæ partem quæ vergit ad meridiem appellere, atque inde discedere, cæteris insulæ partibus neglectis. Singulari igitur ac divino munere, ego in hanc steriliorem insulæ partem compulsus fui, hoc ipso tutior.” Tum animo et viribus confirmatus, domum se contulit, ut nova quæ inierat consilia persequeretur.

Placuit inter cætera serere non procul ab arbusto quo domum munierat nemus ita densum ut sedes a longinquo conspici non posset. Hac mente duo circiter millia ejus generis salicum sevit quas jam facile radices agere atque brevi crescere animadverterat. Sed maxime cavendum judicavit ne certo eas ordine disponeret, ut silvula natura potius

quam arte propagata videretur. Tum statuit viam sub terra per cuniculum agere, ab ima spelunca ad alterum montis latus, ut, obveniente necessitate, aufugere posset. Quod quidem opus fuit magni et diuturni laboris, adeo ut ab apparatu cymbæ omnino cessaret.

Sic ille quidem ab impetu repentina satis tutus sibi videbatur. Quid si hostis instet, obsidioneque cinctum teneat? Neque hoc vanum prorsus erat aut futile; quippe quod aliquando fieri posset. Itaque necesse esse judicavit ut se adversus hunc casum muniret, ne fame aut periret aut ad deditioinem cogeretur. Quamobrem statuit unam certe lamam quæ lacte abundaret in atrio domicilii servare, atque ad hanc alendam fœni acervum sepositum habere ex quo nihil, nisi necessitate coactus, detraheret. Decretum est quoque casei, pomorum, ostrearum copiam parare, et de die in diem suppeditare.

Quibus ita dispositis, aliquot annos vitam vixit adeo tranquillam ut nihil memoratu dignum ei acciderit. Igitur ad rem illam proprio quæ ad commutandam fortunam plus valuit quam quidquam ex eis quæ huc usque ei evenerant.

Quum Robinsoni mane quodam sereno in cymba fabricanda intentus esset animus, magnum e longinquo fumum ascendentem subito conspexit. Primo quidem aspectu obstupuit, mox autem ad montem speluncæ imminentem quam celerrime cucurrit, causam rei inde speculaturus. Ubi primum montem concendit, majore cum terrore conspexit quinque scaphulas in litore religatas, triginta autem barbaros ingentem apud focum, truci gestu atque incondito clamore chorum agentes. Saltabant unico tantum pede; alterum erectum in aere libabant.

Etsi ad spectaculum hujusmodi videndum Crusoëus non imparatus erat, parum tamen abfuit quin rursus terrore exanimaretur. Verumtamen fortitudinem et fiduciam celeriter

in animum revocavit. Tum e colle propere descendit, cunctisque armis instructus, et auxilium precatus a Deo, constituit vitam suam, quoad posset, defendere. Tunc iterum ad summum collem conscendit, hostes exploraturus.

Mox vero cohorruit atque indignatus est, quum duos homines e scaphis trahi ad ignem videret. Ac primo suspicatus est eos neci addictos, brevique comperit se non errasse. Alii enim ex barbaris alterum captivum subito prosternunt, alii prostratum aborti, corpus foede laniant, ad epulas atroces instruendas. Interim in proximo stabat alter captivus, donec ipse quoque mactaretur. Qui vero, dum intentos quisque oculos in cruciatum et lacerationem tenet, oblata occasione, fugit atque citatissimo cursu in eam regionis partem contendit quam Robinson incolebat.

Tunc noster erectus incertusque tum spe et laetitia, tum timore atque horrore vicissim perstringitur. Hinc exultat, quum captivum aliquo spatio persequentes superare videret; inde toto corpore contremiscit, quum animadvertisit cunctos ad domum suam antea ignotam, cursum dirigere. Erat autem sinus mediocris profugo trajiciendus, ne in manus hostium caderet. In quem statim prosiliit eademque quam huc usque adhibuerat celeritate transnavit ad litus oppositum. Dum ii qui proprius urgebant in aquam se ipsos projiciunt, ceteri ad convivium horribile revertuntur. Quanto autem gaudio Crusoëus animadvertisit, hos illi natando pares non esse! Miser enim jam ex aqua emerserat, quum ceteri nondum dimidiari sinus partem emensi erant.

Tunc Robinson insolita fortitudine atque audacia incitatum se sensit; hasta correpta e monte decurrit. Et continuo silva egressus, terribili voce exclamat: “Siste gradum!” At ille, aspectu Robinsonis pellibus horridi obstupuit, ratus esse aliquem humano majorem, incertusque utrum se ei ad pedes projiceret, an potius fugam persequeretur. Crusoëus ei manu

significat adesse se defensorem, et subito conversus obviam hostibus progreditur. Priorem, quum jam propius esset, hasta percutsum vi magna dejicit. Alter qui centum circiter passus aberat, attonitus stupet; tum arcum sagitta instruit, quam in Robinsonem jam proxime accedentem, intorquet. Illa pectus ejus ferit, sed adeo leviter pellem qua indutus erat strinxit ut corpus ferro esset intactum. Tum Robinson priori victoria ferox, vehementi impetu elatus, barbarum prostravit. Deinde hominem respicit cuius vitam servaverat; qui, timorem inter et spem dubius, eodem in loco hærebatur, incertus utrum hæc omnia suæ salutis causa agerentur, an sibi istius ignoti victoris manu pereundum foret. Ille autem barbarum ad se vocat, significatque ut propius accedat. Hic paruit, mox autem perterritus constitit; nunc pedem profert, nunc retrahit; lente demum non sine magna significatione terroris supplex progreditur.

Postquam Crusoëus amicitiam suam omni modo demonstravit, tandem ille adgredi ausus est, sed decimo quoque passu supplex in genua procidit, perinde quasi gratias ageret simul et honorem præstaret.

Tum Crusoëus sublata larva vultum humanum et benignum ostendit. Quo viso, barbarus confidentius servatorem suum adit, totoque corpore projecto terram osculatur. Noster autem, qui amicum habere mallet quam servum, homini allevato quacumque potuit ratione persuadere studet se velle cum ipso amicitiam jungere. Multa vero facienda superant.

Barbarus qui prior fuerat prostratus vulnus mortiferum non sustinuerat; itaque quum animum sensim recepisset, herbis evulsis ad sedandum sanguinem vulnus sanare cœpit. Robinson barbano suo hoc demonstrat. Tum Indus nunc securim lapideam Robinsoni ostendit, nunc se ipsum, ut significaret se illa libenter vitam hosti erepturum. Abhorribat quidem Robinson ab humano sanguine effundendo, sed

necesse ratus ut hostis de medio tolleretur, securim porrigit, aversis oculis. Indus in hostem vulneratum irruit, quem uno ictu obtruncat; tum lætatus revertitur et securim cæsi-que hominis cruentum caput, victoriæ pignora, ad pedes Robinsonis deponit.

Tum Robinson ei signis quibusdam præcipit, ut, collectis cæsorum arcubus et sagittis, se prosequeretur; barbarus autem innuit Robinsoni, prius quam recederent, corpora defunctorum esse huini condenda, ne socii unquam eorum vestigia reperirent.

Ille quum indicasset hæc sibi placere, Indus solis manibus magna cum celeritate brevi utrumque cadaver arena obruit; tum ambo ad domicilium Crusoëi se conferunt.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM

*Crusoëus paratus ad obsidionem ferendam—Friday describitur  
—Quare sic appellatus—Regia potestas—Abundat Cru-  
soëus opibus.*

INCERTA adhuc ancepsque fortuna Robinsonis erat. Nonne verisimile erat barbaros, epulis immanibus satiatos, vestigia socrorum secuturos esse ut et eos et captivum qui evaserat quærerent? Tunc vero dubium non erat quin illi, patefacto semel Robinsonis domicilio, expugnatoque, eum simul et novum comitem occiderent. Quæ cogitatio Robinsonis animum agitabat, e summo colle fœdam epulationem chorosque barbarorum intuentis. Perpendit igitur quid sibi in his rebus faciendum sit: utrum fugiat, an in arce sua inclusum se teneat? Tandem Deum precatus adeo confirmatum animo se sensit ut hoc facere constituerit. Itaque inter dumeta usque ad domicilium proreperit et socio significavit ut idem ageret; sic ambo ad speluncam perveniunt.

Tunc barbarus domicilium liberatoris commode dispositum intuens obstupuit, quippe qui nihil unquam tali arte instructum vidisset.

Crusoëus barbaro significat quid sit ab hostium multitudine metuendum; se autem paratum esse ad vitam strenue defendendam. Quo quidem ille intellecto, truci vultu securim vibrat, gestuque terribili versus eum locum se convertit ubi hostes erant, quasi illos provocaret, patronoque monstraret

se illi defensorem acerrimum fore. Ille autem, hac ejus fortitudine probata, hastam, arcum, sagittas, ei tradit; eumque ad foramen munimenti arborei velut in excubiis collocat, unde prospiceret quid in spatio inter parietem et nemus a se consumit interjecto ageretur. Hoc modo cum socio usque ad vesperam armatus stetit; quum vero post aliquot horas nihil usquam metuendum cernerent, existimaverunt barbaros, frustra scrutatos, in scaphis qua venerant via eandem repetiisse. Igitur armis depositis, Robinson cœnam instruit.

Quum autem ille dies, in vita Robinsonis maxime memorandus, Anglice nominatus esset *Friday*, isti quem servaverat barbaro hoc indidit nomen.

Nondum hoc usque Robinsoni vacaverat eum attentius considerare. Juvenis erat egregiae formæ, annorum circiter viginti; colore fusco, cute nitida, crinibus nigris, non autem laneis, sicut Æthiopum, sed rectis; naso brevi, nec eo depresso, labiis parvis, dentibus tam albis ut ebur æquarent. Aures ejus variis conchis et pennis ornatae erant, quibus ille non mediocriter superbire videbatur; nudus ceterum a capite ad pedes.

Itaque Robinson amiculo e pellibus confecto socium induit. Tum ei significavit ut lateri assideret ad cœnandum.

Friday magna cum reverentia atque grati animi significacione ad dominum accessit; tum in genua se prostravit, capite in terram demisso.

Crusoëus autem socio atque amico diu exoptato mirifice lætatus, blanditiis potius illum sibi devincire cupiebat. Existimabat enim duplē non esse generis humanis originem, nec factos meliore luto hos qui vocantur albi, quum eodem patre quo nigri homines nati sint; attamen quum putaret prudentius esse hospitem nondum satis sibi cognitum intra obsequii et venerationis fines continere, honoremque ab eo velut sibi debitum accipere, regem aliquamdiu agere constituit,

Itaque socio signis gestuque ostendit, se illum quidem in tutelam suam recepisse, ea tamen lege ut summam ipsi obedientiam præstaret, atque omnibus sedulo vacaret quemque dominus et rex novus juberet. Ideo *Cæcum* se ipse appellavit, quoniam eo nomine barbarorum principes vocari meminerat. Qua voce melius quam signis adhibitis Friday id intellexit quod suus ei dominus declarabat; et ut pateret se domino in servitutem semetipsum dicare, iterum iterumque nomen illud clara voce pronuntiavit, Robinsonem manu demonstrans, et ei ad pedes projectus. Quin ut significaret se satis intelligere quanta esset vis regiæ potestatis, hastam arreptam domino porrexit, cuspide ad pectus suum directa, atque hoc ipso declaravit Robinsonem vitæ necisque habere potestatem. Hic autem regia quasi majestate dextram subdito porrexit, jussitque secum cœnare. Friday dicto audiens fuit, ita tamen ut ipse humi, ille vero in suggestu graminis sederet.

Quibus factis, Crusoëus rex fuit. Quippe insula erat pro regno, lamæ fructusque pro ærario, Friday pro subdito, unico quidem sed carissimo, psittacusque pro comitatu, sed fere inutili.

Cœna confecta, rex novus de cubiculis rite disponendis mandata dedit. Parum sane prudenter egisset, si socio qui tam brevi tempore tot munera adeptus erat, famulus idem et minister, legatus et miles, præfectus copiarum et ædium, secum in eadem spelunca recubandi licentiam dedisset. Et enim non satis tutum habuit vitam suam cæcumque sub terra viæ exitum credere externo homini et alienigenæ, eujus fidem nondum adhuc spectatam vix pro certo habebat. Itaque jubetur Friday idoneam fœni copiam in caveam transportare, sibique inde parare cubile; novus interea rex, ut saluti suæ consulat, arma omnia in cubiculum suum confert.

Tum adstante toto populo non puduit Crusoëum humili

---

ac prorsus agresti ministerio fungi. Qui universæ, quaqua patebat, insulæ imperitabat, qui in suos omnes subditos vitæ necisque jus habebat, ille non erubuit, servilem in modum, regiis manibus lamas ipse mulgere, ut rite doceret ministrum cui hoc officium postea mandare in animo habebat. Hic vero quamvis id attente consideraret, cui tamen bono foret minime intellexit. Quippe nec ille nec populares sui, ut hebeti prorsus erant ingenio, unquam suspicati fuerant lac animalium salubre æque ac nutriendo corpori esse accommodatissimum. Nunquam hoc genus alimenti labris attigerat; itaque paululum lactis a Robinsone oblatum inusitata et singulari voluptate hausit.

Variis autem hujus diei molestiis periculisque fessi ambo somni quietisque erant appetentissimi. Robinson igitur servo mandavit ut ad lectum se conferret, tum ipse quoque eo se contulit.

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

*Suspicio in lætitiam et admirationem versa—Casus qui risum legenti movebit—Rebus secundis adversæ levantur.*

POSTERO die Crusoëus noster cum socio statim ad eum locum se contulit ubi hesterno barbaros atrocibus epulis accumbentes viderat. Inter eundum eo devenerunt ubi ambo barbari a Robinsone interficti arena obruti jacebant. Friday loco domino demonstrato significavit quantum gestiret cadavera ista eruere ut improbam carnis aviditatem expleret. Quem ille torvo vultu intuens, docet quantopere a tali facinore ipse abhorreat, hastaque elata, infesto gestu, mortem ei denuntiat, si unquam ille ejusmodi cibum attingeret. Quo quidem intellecto, Friday statim domino paruit, incertus tamen quam ob causam quas epulas inde a puero non mediocriter appetierat ab eis jam prohiberetur.

Tunc ad locum convivii devenerunt. Heu ! qualis aspectus ! terra cruento tineta ! disjecta passim ossa ! Robinson oculos avertit sociumque jubet terram statim fodere, tristesque barbarorum helluonum reliquias condere.

Dum ille mandata exequitur, herus cineres sopitos attente suscitabat, sperans se aliquam ignis particulam inventurum. Sed frustra. Erat ignis omnino extinctus ; quod Crusoëum magno affecit dolore. Ex quo enim socium sibi adjunxerat, nihil ipsi fere optandum praeter ignem supererat. Dum autem ille, capite inclinato mœstoque vultu, extintos cineres aspicit, ecce Friday quum dominum cogitatione defixum animad-

vertisset, nonnulla signa dedit quæ ille non intellexit; tum arrepta subito securi, citatissimo cursu silvam petit intimam, Robinsone inque obstupescentem relinquit.

“Quid hoc sibi vult?” ait secum Robinson, dum euntē anxiis prosequitur oculis. “Mene homo deserit, et ablata securi aufugit? an tam perfidus est ut meam domum occupet, ut me ipsum vi inde detrusum sodalibus suis inhumanis prodat? Proh scelus!” Statimque ira inflammatus hastam corripit ut proditorem persequatur, nefariaque consilia et puniat et prævertat. Dum sic de fide barbari timet, videt hominem citatissimo cursu redeuntem. Sistit Robinson gradum, miraturque eum (quem proditionem machinari suspicatus fuerat) sublatum graminis aridi manipulum tenere unde fumus oriebatur. Jam in flamمام erumpit; et Friday manipulo in terram projecto, addit diligenter majorem graminis aridi atque sarmentorum copiam, clarumque et ardente ignem succendit; quod quidem non minorem domino lætitiam quam admirationem movit.

Tum comperta causa propter quam Friday subito excurrerat, illum amplexus sine quidem verbis, tam inanis suspicionis veniam rogat.

Scilicet Friday diligenter silvam petierat ut e trunco arido duo ligni fragmenta excideret. Quæ ille scite alterum altero tanta celeritate colliserat ut ignem concepissent. Tum citius lignis arido gramine involutis, cum isto manipulo procurrerat, qua motus velocitate fœnum exarserat. Crusoëus jam agitacione flamarum ita delectatus est ut illarum aspectu satiari non posset. Tandem arrepta tæda, comite Friday, in domum properat.

Mox igne accenso, nonnullisque solanorum tuberibus circa focum positis, ad gregem festinat; lamæ pullum eligit, mactat, quartamque ejus partem veru affigit quod socio versandum inandat.

Interea dum ille hoc munere fungitur, Robinson segmentum pectoris amputat; tum nonnulla tubera lavat, manipulumque zeæ duobus saxis adhibitis molit; hæc omnia ollæ committit, in quam, addito sale, idoneam aquæ partem infundit, ac demum olla igni apponitur.

Friday istum omnem apparatus cernebat, neque tamen intelligebat quo res spectaret. Noverat quidem cibos assos, nihil autem de arte coquendi audiverat; quin etiam ignorabat quænam esset vis ignis in aquam ollæ infusam. Quæ quidem quum fervore cœpisset, Friday obstupuit, miratus quid esset quod sic aquam moveret.

Quum vero eam vidisset exæstuantem et undequaque exundantem, putavit animal in olla esse quod istum repente æstum excitaret. Ut autem impediret ne omnis ab olla aqua effunderetur, manum celeriter immersit ut animal tam molestum caperet. Tum vero clamorem et ululatum edidit quo tota personuit spelunca. Hoc auditio Robinson valde exterritus est, quod existimabat a barbaris inruentibus socium opprimi. Itaque timor atque insitus in animo propriæ salutis amor suadebant ut per cuniculum effugeret. Mox autem consilium abjecit, turpe ratus servum vel potius amicum tanto in periculo deserere. Sine mora igitur e spelunca proruptus armis instructus paratusque vitam suam profundere, ut comitem e manibus barbarorum iterum eriperet.

Ut vero obstupuit, quum hominem solum, amentis instar, ululantem gestuque insolito trepidantem vidit! Diu dubius anxiusque hæsit. Intellexit tandem omne malum ex eo esse quod manum sibi Friday leviter ussisset. Nunquam ille neque audiendo, neque experiendo cognoverat aquæ fervorem igneum addi posse; nunquam manu tetigerat aquam fervidam; itaque non potuit intelligere quæ illius causa esset doloris quem manu in aquam immersa sensit. Itaque magica quadam arte hoc fieri dominumque magum esse existimavit. Robinson

ægre animum socii sedare eique persuadere potuit ut denuo carni veru versandæ assideret. Ille mandato tandem obsecutus, ollam non sine tremore dominum vero (quem humano majorem sine dubio nunc putavit) timida cum reverentia intuitetur. In quam opinionem eo celerius incidit quod Robinsoni albus erat color, barba promissa. Hæc enim efficiebant ut Robinson, specie oris, longe differret a socio ejusque popularibus, fuscum colorem et imberbem vultum præferentibus.

Jam vero prandium paratum erat. Quantopere Robinson calidis et pinguibus cibis delectatus sit facile intellexeris. Calamitatum jam præteritarum oblitus, sibi in animo fingit non deserta in insula, sed in regione frequentissima se versari. Sic animi vulnera insperato quodam gaudio sanari solent, etsi illa plerumque insanabilia putamus.

Prandio confecto Crusoëus secessit ut de prospera rerum suarum commutatione secum ipse meditaretur. Nunc omnia bene succedere visa sunt.

Cui cogitanti in mentem venit ut vitam ipse quidem mollem atque otiosam ageret, Friday autem, juvenem robustissimum (de quo præterea tam bene meritus fuerat ut eum sibi famulum jure quodam vindicaret), cogeret ut necessariis muneribus laboribusque perfungeretur. Sed quum intus secum reputasset fieri posse ut aliquando tam felici ipse conditione excideret, tunc vero si otio atque inertia corrumpi se pateretur, molestum sibi fore ad duritiem paupertatemque prioris vitæ redire, statuit in labore æque atque adhuc gnaviter ac strenue perseverare. Quo decreto, e strato exilit, citatoque gressu in vestibulo domicili obambulat. Interea Friday ciborum reliquis in cella sepositis, domini jussu ad lamas mulgendas abit.

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM

*Robinson domum fossa et palis munit—Docet socium Anglice loqui—Ambo scapham fabricare statuunt.*

NUNQUAM sane, ex quo hanc in insulam advenerat, laetior fuerat Robinsonis fortuna. Hoc unum erat illi metuendum, ne barbari reverterentur ad socios repetendos, et novis eruentisque præliis sibi cum iis certandum foret. Quin ille cohorruit, quum cogitaret fortasse fore ut in discriminine tam ancipiti versaretur ut aut sibi pereundum esset aut sanguis hominum profundendus.

Jam diu domicilium suum castelli instar munire voluit; hue usque vero, dum sine comite vivit, hanc spem penitus abjecerat. Nunc autem, quum adesset socius laboris, facilius hoc aggredi potuit. Itaque montis cacumen concendit ut excogitaret quomodo se tutius firmiusque muniret; atque hoc brevi fecit, quum inde totam regionem oculis complecteretur. Statuit primum fossa lata altaque domum cingere, ac deinde qui rivus non procul abhinc scatebat eum ita dividere ut altera pars in fossa, altera per medium atrium flueret, ne unquam obsidione cinctus aquæ inopia laboraret.

Haud facile erat haec omnia socio signis indicare. Hic vero quum rem aliqua ex parte intellexisset, ad litus procurrit atque inde rettulit instrumenta fodiendo apta, conchas scilicet magnas lapidesque planos et acutos. Tum ambo opus inchoant,

Jamque ambo socii a summo mane usque ad vesperam non alaci minus quam strenuo animo operi incumbunt, itaque mirum quantum vel instrumentis quam minime aptis adjuti in diem profecerint; nec per duos menses continuos, vento obstante, barbari insulam invisere. Itaque licebat sociis continuam operam munimentis dare, nec illis opus erat a repentina incursione cavere.

Crusoëus comitem, labores inter diurnos, Anglicam linguam docebat, cuius ope socio cogitata sua eloqui ardentissime cupiebat. Qui quidem tam docilem et attentum se præbuit ut brevi tempore longe procederet. Robinson enim eadem arte usus est qua sollers magister ut linguam Latinam Gallicamve discipulos doceat. Quoties nempe fieri potuit, ea rede qua sermo erat posita ante oculos, articulatim distinckeque nomen ejus dicebat. Quum vero de ejusmodi rebus ageretur quæ oculis subjici non poterant, vultu gestuque ita exprimere studuit, ut Friday, anni dimidia parte nondum exacta, Robinsonem facile intelligere cogitationumque participem facere posset.

Quod quidem multum Robinsonis felicitati adjecit. Huc usque enim socium quidem, sed mutum habuerat; nunc vero amicum sibi comparavit. Friday enim et grato erat animo, et semper honestum, fidelem, ingenuum, domino se præstitit. Itaque Robinson cariorem eum in dies habuit, ac brevi non dubitavit hoc ei concedere ut in eadem spelunca secum pernoctaret.

Duobus abhinc mensibus fossa absoluta fuit, quo facto, ita muniti erant ut jam barbarorum impetum non modo non extimescere, sed etiam, si unquam arx oppugnaretur, possent eos repellere; prius enim quam ullus fossam transirent aut palos superarent, ab obsessis aut sagittis interfici, aut hastis transfodi impune poterant. Itaque saluti suæ nunc satis consuluisse videbantur.

Non ita multo post Robinson sociusque forte collem litori vicinum forte conseedenterant, unde maris aspectus longe lateque patebat. Friday oculos in illam ejus partem intendit, ubi insulæ aliquot eminentes conspici e longinquò poterant. Tum ille subito exultare atque mirum in modum gestire cœpit. Qua de re interrogatus a Robinsone latus hæc exclamat, "En patriam meam aspicio! ibi gens mea habitat": Vultu vero, oculis, gestu, significabat quam cara sibi esset patria, ac quantopere ut illam reviseret optaret. Quod quidem domino minime placuit. Erat sane affectus ille animi in viro laudabilis, quo declarabat caram esse patriam, caros amicos, caros parentes. Nascitur enim nobiscum sensus ille et, quæcumque illa sit quam primam suam quisque puer cognovit regionem, vel signavit vestigio, nulla magis regio arridet. Sed veritus ne popularium amantior ipsum aliquando desereret, animum ejus pertentare voluit et sic colloquium cum eo iniit, ex quo optima ejus indeoles apertius patuit.

CRUSOËS. Num tu ad populares tuos redire et cum iis habitare malis?

FRIDAY. Libenter equidem eos revisam.

CRU. Scilicet optes carne humana cum iis vesci?

FRI. Minime! eos potius ad mores mitiores traducam, doceamque vesci lacte et carne animalium, et inprimis ab humana abstinere.

CRU. Quid si te ipsum devorent?

FRI. Hoc non facient.

CRU. Attamen vescuntur carne humana?

FRI. Sane illi quidem; sed carne hostium.

CRU. An tu scapham conficere potes qua ad eos transveharis?

FRI. Sane quidem!

CRU. Euge! confice tibi scapham atque ad illos revertere. Quid? dejicis oculos; cur sic doles?

FRI. Doleo quod dominus mihi carissimus irascatur.

CRU. Cur vero tibi irascar?

FRI. Ita res se habet; quippe ille me a se relegatum velit.

CRU. Antea vero voluistis redire in patriam?

FRI. Volui equidem; nisi tamen dominus meus ibi mecum veretur, ibi nolim ego quoque versari.

CRU. Me quidem populares tui hostem arbitrati, interficient devorabuntque; tu igitur solus proficiscere!

Quibus auditis Friday arreptam securim domino porrecta cervice reddit.

CRU. Quid vis?

FRI. Malim ego a te interfici quam relegari!

His dictis Friday vim lacrimarum profundit. Robinson autem vehementissime commotus eum amplectitur, et hæc exclamat: “noli timere, O bone! Ego quoque opto ut nunquam a te divellar; ex animo enim te diligo.”

## CAPUT DECIMUM NONUM

*Pluviarum tempus—Socii nectunt stragulas—Retia—Cymba conficitur—Nostri mari se committunt.*

IPO die operi destinata aderat pluviarum tempus; quod bis per annum ingruere Robinson non unius anni experientia didicerat. Quo tempore per duos menses perpetuos nulli negotio vacare extra domum licebat; tanta vi assiduus imber de cœlo ruebat. Animadverterat quoque Robinson valetudini parum salubre esse illa tempestate foras exire. Quid igitur faciendum erat? Dilata navis confectione, tempus in laboribus domesticis consumendum erat.

Mirum in modum profuit Robinsoni per dies illos pluvios atque horas vespertinas igne uti et lumine, amicumque habere quocum tempus inter opera domestica jucundis sermonibus tereret. Antea enim tristes istas noctes solus in otio et in tenebris degerat. Jam vero cum socio ad lampadem et focum sedens, in aliqua re gerenda diligens colloquitur neque unquam gravi desidia pondere vexatur.

Quin etiam ex socio didicit multas artes quibus barbari nonnullas sibi utilitates comparant; multa quoque illum docuit quæ barbari ignorant. Ita in dies peritiores facti multa conjunctum confecerunt, quæ neuter solus suscipere potuisset. Tum ambo intellexere quanta ex hominum amica conspiratione oriantur commoda, quibus illi carerent si bestiarum more singuli vagarentur. Inprimis Friday artem callebat qua

tenues densasque fibras arborum necteret corpori vestiendo aptissimas. Quam quum herus ex eo didicisset, tum illi certatim tam multas ejusmodi texuerunt, ut idoneum utriusque vestimentum suppeteret. O quam jucundum Crusoëo fuit abjicere amiculum istud molestum, e pellibus rigidis neque subactis confectum quo hue usque corpus ipsi tegendum fuerat.

Friday etiam e fibris nucum cocossæ variisque herbis lini naturam referentibus fila educendi artem didicerat, quæ funiculos a Robinsone hue usque confectos longe superabant.

Interea quæ de Deo Friday censeret hoc colloquio Crusoëus certior factus est.

CRU. Dic mihi, quæso, O bone, nostine quis mare, quis terram, quis animalia, te ipsum denique creaverit?

FRI. Prefecto! Toupan ista creavit.

CRU. Quisnam est Toupan ille?

FRI. Is nempe qui tonat.

CRU. Quisnam vero ille est qui tonat?

FRI. Senex est ætate proiectissimus qui omnibus ceteris rebus superstes est quique tonitru efficit. Ætate solem, lunam, stellas longe superat, omnesque animantes eum adorant.

CRU. Quemnam in locum post mortem commigrant tui populares?

FRI. Ad Toupan revertuntur.

CRU. Ubinam vero ille habitat?

FRI. In excelsis habitat montibus.

CRU. Quis eum ibi vidit?

FRI. Nemini fas est eum adire nisi Owakakeis, id est sacerdotibus. Illi “O!” dicentes eum interrogant, ac deinde nobis ejus responsa referunt.

CRU. Qui autem post mortem ad eum migrant, num felicitate ulla fruuntur?

FRI. Sane illi quidem, si magnam hostium copiam mactaverint atque comederint.

Quo audito dominus cohorruit statimque illum meliora de Deo vitaque futura docere cœpit ; Deum nempe esse omnipotem, sapientissimum, benignissimum ; qui omnia creaverit, omnia regat, omnibus consulat ; ipsum autem nunquam originem habuisse, ubique adesse, intelligere quæcumque nos cogitemus, audire quæcumque loquamur, videre quæcumque agamus, quamvis ipse a nullo videri possit ; habere proborum atque improborum rationem ; eamque ob causam quum in hac, tum in futura vita neminem beatum reddere nisi illum qui ex animo virtuti studuerit.

His atque hujusmodi sermonibus pluviarum tempus consumunt.

\* \* \* \* \*

Cœlo tandem serena facies redierat ; desinebant venti nimbi que aufugerant. Noster cum fido socio puram tepidamque auram veris spirat. Ambo novis viribus auctos se sentiunt, atque alacri animo ad arduum opus suscipiendum se accingunt.

Friday admoto igne truncum excavavit, atque duos intra menses id absolvit quod ægre multorum annorum spatio dominus solus confecisset. Jam præter vela remosque nihil defuit. Hos quidem Crusoëus, illa vero Friday paraturum se spondet.

Ambo simul opus susceptum absolvere ; sed instructa navi, nihil supererat nisi ut haec a litore in mare demitteretur. Quoniam vero locus in quo navem fabricaverant longe a mari distabat, non satis patebat qua ratione, ut erat gravissima, ad mare aut deduceretur, aut deportaretur, aut traheretur, aut denique provolveretur. Itaque ex his rebus tam angustis quomodo se expediant ?

Neque vero Robinson oblitus erat quantam utilitatem longa peritia sibi quondam præbuisset. Quam ob rem nunc quoque illam adhibuit. Sed navis tam lente provoluta est,

ut facile intellegent se integrum mensem in hac opera consumpturos esse.

Tandem opportune recordatus est illius instrumenti quo fabri lignarii uti solent ad magna pondera promovenda, cui *cylindrus* nomen.

Quod quidem vix Robinson expertus magno cum gaudio vidit quam facile navis promoveretur.

Jam nihil superfuit nisi ut quæ ad proficiscendum essent necessaria pararentur, scilicet ut navis tot oneraretur commatibus quot sufficerent.

Quibus tandem factis statutum est proximo die iter parare, et ubi primum ventus aspiraret, vela dare, et illuc tendere ubi Friday sperabat se proximam terrae continentis oram inventurum.

Robinson, arco relicta, in tumulo imminente restitit.

Tum regionem illam, eo sibi cariorem quod eam mox relicturus erat, oculis perlustravit, hominis instar qui in eo est ut patriam relinquat nulla cum spe illius revisendæ.

Tandem desiderium vicit animi constantia; ad fortitudinem se ipse exacuit, passisque late palmis haec exclamavit: “Valete O calamitatum mearum testes! Valete!” atque hoc ultimo vale inter singultus emissio, in eam quæ ad litus ducebatur viam se contulit.

In itinere fidissimum sibi psittacum per arbores volitando sequentem animadvertis. Quo viso, vocat “Polly, Polly!” Ille vero celerrime desilit; atque e domini manu in humerum provolat. Interea Friday moræ impatiens in litore expectabat, quinque Robinson ad eum pervenisset, ambo navem condescendunt.

Tricesimo die novembris, anno post Crusoëi in hanc insulam adventum nono, cœlo serenissimo, ventoque maxime secundo, profecti sunt. Vix autem circiter duo millia passuum progressi, ad continuam scopulorum seriem pervenere

longe in mare procurrentem. Uterque periculosum putavit saxa ista superare. Itaque velo in aliam partem directo, nituntur ut circumeant. Quum autem extremam partem scopulorum vix attigissent, scapham summa subito velocitate abripi animadvertunt; exterriti ambo velum colligere, ut sustenturi repentinum venti impetum. Frustra tamen; scapha enim in præceps prona rapitur, medioque in aestu raptari se intelligunt.

Tum ambo viribus conjunctis mare remis pertinacius verberare, si possint scapham eripere.

Scapha tamen undis abripitur, omnisque spes salutis recuperandæ evanescit.

Verum enimvero quum jam mortales animis deficiunt, quum sunt ab omni spe destituti, tunc alma Dei benevolentia iis præsentius auxilium atque insperatam salutem afferre solet. Crusoëus ipse defessus remum agere desierat, quum subito animadvertisit scapham cursu ferri non tam rapido, nec tam turbidum mare esse. Mox e summis undis intelligit flumen eo loco haud æqualiter dividi, maximamque ejus partem ad septentriones incitatus ferri, alteram autem, qua scapha nunc vehitur, tardius se reflectere et convertere ad meridiem.

Continuo ingenti alacritate ambo remigant, vento secundo impulsi ad eam insulæ partem quæ orientem spectat; et brevi montium cacumina rursus eminentia vident. "Macte puer," sic ait Crusoëus socio in prora sedenti, vultu ab insula averso, "macte animo, adest finis malorum". Quibus vix dietis, novus subito et major pristino terror incutitur; scapha enim tam vehementer acta est, ut ambo remiges sedibus in infimam scaphæ partem deturbarentur. Illa repente hæsit in vado, undisque superfusis operta est.

## CAPUT VICESIMUM

*Ambo e periculo se expedient—Reversi in insulam, hortum colunt—Piscantur—Natant—Venantur—Novum iter suscipiunt—Tempestas—Magna navis derelicta—Ignota animalia—Ratis.*

CRUSOËUS celerrime remo aquæ altitudinem scrutatus, quum terram satis firmam invenisset, aquam autem duobus tantum pedibus altam, illico e scapha se projicit. Sequitur Friday et ambobus refectae sunt vires quum animadvertisserent cymbam in arena non in saxo hærere. Tum illam levare eoque impellere ubi major erat aquæ altitudo. Quod ex voto cessit. Navis quippe agi incipit, amboque in eam rursus condescendunt.

Tandem mari alto potiti omnibusque viribus connisi ad insulam tendunt quæ jam prope ante oculos erat; et quo propius spes admovebatur, eo magis crescebat ardor animorum. Jamque umbræ summis de montibus cadebant. In terram descendunt eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat.

Quum adhuc uterque cibis hodie abstinuissest, in litore statim consident, sumptisque commeatibus quibus navem instruxerant, corpus reficiunt. Tum seapham in angustum maris sinum protrahunt; cetera vero quæ in nave secum habuerant, ea domum reportant.

Proximo die, Crusoëus socium his verbis compellat: “Heus,” inquit, “estne tibi animus novum mecum periculum tentare?”

FRI. Minime sane !

CRU. Statuisti ergo vitam hac in insula mecum agere ?

FRI. Modo si pater meus hic etiam nobiscum versetur.

CRU. Ergone pater tuus etiam nunc vivit ?

FRI. Dummodo interim non sit mortuus.

His dictis Friday commotus, emisso solanorum tubere quod manu tenebat, vehementer flevit. Nec ipse suorum quoque memor Robinson a lacrimis abstinere potuit ; amboque, animo pariter affecti, aliquamdiu siluere.

CRU. Bono fac animo sis ! pater tuus etiam nunc profecto vivit ; proxime ad eum proficisciemur, atque hue illum transvehemus.

His dictis, quum Friday sedato paululum animo ad se rediisset, Robinson eum interrogavit an viæ in patriam insulam ducentis gnarus esset, ne temere anceps vitæ discrimen rursus adirent. Ille vero respondit iter sic se exploravisse ut vel noctu illud suspicere auderet ; saepius enim se cum popularibus hue ad celebrandas victorias venisse.

CRU. Tunc igitur cædis particeps fuisti, quum homines mactaverunt quibus epularentur ?

FRI. Fui equidem. Tunc autem ignorabam id nefas esse.

CRU. Quamnam vero ad partem insulæ navem appellere consuevistis ?

FRI. Ad meridionalem oram, quoniam illa nobis proxima, arboribusque cocossæis abundat.

Interdum pisces capere conantur retibus instructi eis quæ Friday pluviarum tempore confecerat. Tautam vero uno retium jactu multitudinem piscium ceperunt ut plurimos etiam in aquam rejicerent. “ Is enim Dei donis male utitur,” ait Crusoëus, “ qui plus sibi arripit quam quod ad vitam bene beateque agendam necessarium est ; sævus ille est et immanis, si quis animalia innocua interficit quibus ad victum quotidianum sibi non opus est.”

Aliis diebus venando delectari. Aves pullosque lamarum dejiciebant, nunquam vero plures quam qui sibi essent ad vivendum necessarii.

Etsi autem Crusoëus socium ingenio industriaque vincebat, hic tamen multas artes callebat, domino antea ignotas, tunc vero maxime utiles. Scilicet multa instrumenta ex ossibus, lapidibus, conchis, fingebat quibus lignum ita tractabat ut non perfecta minus atque elaborata opera efficeret quam si ferro excisa essent aut fabricata.

Tandem horto probe exculto, dies constitutus est quo ad patrem Friday adducendum profecturi essent. Quo propior autem erat dies itineri destinatus, eo major Robinsonis cura. Fieri enim poterat ut barbari, spretis Friday consiliis precipibusque, hospitem male mulctarent. Itaque diutius abstinere non potuit quin hunc timorem amico declararet. Qui quidem jurejurando domino affirmat timorem ejus esse vanum; se popularium suorum animos satis perspectos habere, illosque nemini unquam nocere nisi hosti. Amico igitur fidem habuit, omnique metu abjecto, socii probitate fretus, die proximo vela dare constituit.

Hac mente scapham quæ huc usque in sicco remanserat, in aquam retrahunt, paloque in terram defixo religant. Vespre eodem tubera solanorum torrent, aliosque cibos parant ut secum octo dierum viatica deportent.

Robinson sociusque vix unam dormierant horam, quum ille exorta subito tempestate expergefactus est. Procella furit, repetitoque tonitruum fragore terra ipsa concussa tremit. “Audisne, Friday?” ait dominus. “Heu!” respondit ille, “si hæc tempestas nos in alto deprehendisset!” Quibus vix dictis, repente fragor auditur qui tormenti bellici sonitum referebat. Friday tonitru esse putat; Crusoëus autem pro certo habet se tormenti sonitum audiisse, animusque ejus gaudio simul et timore perturbatur. Extemplo

e strato se corripit, tædaque e foco arrepta Friday jubet subsequi.

Tum dubius spem inter et metum ad litus procurrunt exploraturi quemnam sonum auribus accepissent. Primo autem aspectu magnus Robinsoni dolor, socio desperatio incessit. Procella enim scapham avulsam a litore in altum projecerat. Et certe si quis hunc miserum vidisset, amissa iam spe patris revisandi, a lacrimis certe abstinere non potuisset. Ille expalluit, mutus, oculis in terram defixis; tunc subito in lacrimas erumpere, sibi manus torquere, pectus percutere, avellere crines.

Crusoëus, qui propriis malis aliorum misereri didicerat, socii dolore ipse commotus, amicis lenibusque monitis conatur eum ad tranquillitatem animi reducere.

Ipse autem requiescere non poterat; quippe enim imago navis cuiusdam ad insulam appulsæ menti ejus semper obversabatur. Montem igitur conscendit unde ora orientalis conspici posset, quumque ad summum pervenisset, acie oculorum orientem versus directa, quam ille lætatus simul atque attonitus fuit! navem scilicet permagnam conspicit tam perspicue, etsi satis longe aberat, ut nihil amplius dubitationis superesset. Tum ille anhelans ad arcem recurrere, arcum arripere, socioque obstupescenti nihil proferre præter hæc verba: “en adsunt!” Tum quam velocissime se proripit.

Friday quum dominum tanta animi perturbatione trepidantem atque verba tam abrupta proferentem videret, barbaros certe adesse existimavit. Itaque ille quoque armis correptis eadem celeritate secutus est.

Jamque illi duorum millium viam percurrerant, priusquam eo pervenissent unde navis conspici posset. Crusoëus e longinquo eam socio ostendit; quam ille valde miratus est. Quanquam enim navis satis longe distabat, intelligebat tamen

eam centies superare vel maximam navem quam hic usque vidisset. Crusoëus nunc exultare, nunc socium amplecti, eumque obtestari ut et ipse lætetur.

Alta tandem voce clamavit, sed frustra; quanquam ventus post procellam mutatus ab insula navem versus spirabat. Itaque socium quam celerrime ignem accendere jubet quem nautæ conspicerent. Hoc celeriter peracto, flamma brevi altitudinem arborum æquavit. Interim Crusoëus oculos in nave defigit, ut qui exspectabat dum scapha inde demissa ad se tenderet. Quæ tamen spes eum fefellit.

Postquam jam ignis per unam fere horam arsit, quum nulla in conspectu scapha esset, Friday ultro spondet se ad navem, quamvis longius distet, natando perventurum, eosque qui in ea vehuntur invitaturum ut ad insulam accendant. Robinson eum amplexus, orat ne se temere periculo objectet, sed potius vitæ suæ consulat. Tum Friday vestes e stragulis confectas abjicit, et ramo viridi dentibus gestato quem pro signo pacis offerat, in mare alacri animo prosilit. Hunc Robinson oculis votisque ardentiissimis prosecutus est.

Friday feliciter ad navem accessit; tum postquam non semel eam circumnatavit, sustulit clamorem; sed a nullo redditur. Quum tandem scalam animadverteret a navis latere suspensam, illius ope navem concendet. Tum eum stegam oculis perlustrantem aspectus bestiæ ignotæ exterruit. Nigra hæc bestia et villosa erat; quae ubi primum hominem conspexit, vocem prodidit qualem ille nunquam audierat. Mox autem tacuit, adeoque mitem se præbuit blandamque, ut timorem Friday omitteret. Quin etiam supplex illa adrepit, caudam movens miserabiliterque ululans ut quae auxilium et præsidium imploraret. Itaque quum usque ad ejus pedes prorepsisset, eam Friday manu mulcere audet, quo quidem illa mirifice lætata est.

Tum Friday stegam pererrabat, alta voce usque quaque

clamans ; nemo autem se obtulit. Quum oinua stuparet quæ in stega oculis ejus occurrerant, verso dorso ad locum quo patet in interiore navis partem descensus, repente a tergo percussus est tanto ictu, ut pronus caderet. Terrore perculsus, se erexit, atque quum respexisset, attonitus hæsit ad aspectum animalis satis magni, cornibus curvis, barba prolixa densaque, quod iterum minaci vultu se erigebat, ut in hominem denuo impetum faceret. Friday, clamore edito, in mare prosilit.

Prior scilicet bestia, nigro illa colore, erat canis villosus, qui hominem secutus e nave se quoque projecit. Ille vero quum bestiam natantem a tergo audiret, monstrum alterum cornibus armatum urgere arbitratus, adeo exterritus est ut vix procedere valeret. Parum abfuit quin fluctibus absorberetur ; nec respicere quidem ausus est. Quum tamen paululum animum recepisset, tanta velocitate transnavit ut vix eum canis sequi posset. Tandem litus attingit, et Crusoë ad pedes procidit. Canis quoque non ita multo post terram assecutus est.

Mox narrare incipit Friday quid in nave marique acciderit ; navem sibi montis iustar lignei visam fuisse, in qua tres excelsæ arbores (mali scilicet) starent. Bestiam illam nigram sibi blanditam fuisse, monstrum vero cornutum barbatumque irruisse, mortem intentans ; seque existimare monstrum illud esse montis lignei natantis dominum, quum hominem in eo omnino nullum vidisset.

“ Quid autem nunc faciendum est ? ” sic Robinson quærit secum. “ Fac illos aut periisse aut vento tantum abreptos fuisse ; quidquid acciderit, e nave nobis quam plurima eripenda. Quomodo autem, quum scapha careamus ? ”

Ex necessitate ipsa consilium oritur. Venit in mentem ratem facere, lignis aliquot ita colligatis ut commode veheretur.

Interea placuit ut alteruter domum curreret, et victum

cum omni funium copia ceterisque instrumentis peteret. Friday ut erat cursu velocior, proficiscitur. Crusoëus autem remansit, arbores interim rati conficiendae idoneas cæsurus.

Friday sub vesperam rediit. Interea Robinson magnopere delectatus est cane villoso, quem veluti popularem ex Europa, si ita loqui licet, diligebat. Quum Friday rediisset, ciborum quos attulerat partem cani esurienti dedit. Quum vero luna opportune lucem præberet, ambo usque ad mediam noctem operi incubuerunt. Tum omnino fatigati, quum somno diutius carere non possent, in gramine recumbunt, canique se committunt custodi qui ad pedes eorum se projecit. Itaque ambo dulci somno recreati sunt, donec aurora rediisset.

## CAPUT VICESIMUM PRIMUM

*Multæ opes repertæ—Cibi—Supelleæ—Instrumenta—Vestes—  
Sclopeta—Robinson repente dives.*

POSTERUM diem tanta assiduitate operi impenderunt ut vespero ratem confecissent. Duplicem arborum seriem partim funibus, partim viminibus tam arcte colligaverant ut tutissimæ ratis vicem præstaret, longitudine viginti circiter pedum, latitudine fere eadem. Prudentius illam prope litus atque cylindris impositam construxerant; quo facilius in mare deduceretur.

Primo diluculo mare reciprocare cœpit. Itaque sine mora ratem detrudunt ut ab aqua recedente, velut a fluvio, ad navem scopolis affixam deferatur. Et mox profecti ad navem perveniunt.

Quanto tunc gaudio Robinson exsultabat, dum ad navem tam ingentem et Europæanam accedit! Parum aberat quin latus ejus oscularetur. Adeo caram illam habebat, quod ex Europa advenisset, quod ab Europæis ædificata, ab Europæis hue adducta fuisset. Carissimi autem isti Europæi, heu! evanuerant, undisque fortasse obruti perierant. Omni jam spe sublata Europam statim redeundi, nihil supererat, nisi ut ex navi servaret tantam supellectilem quantum posset, ut ipse ea frueretur. Itaque navem circumvectus, mox non sine magno dolore intellexit minime esse sperandum illam iter unquam velis tentaturam esse; quippe quæ inter duos scopulos vi tempestatis conjecta ita hærebat ut moveri nullo modo posset.

Qua spe destitutus navem descendere properat, opes quibus illa onerata esset exploraturus, an essent incolumes. Friday autem, timoris hesterni non immemor, dominum in stega comitari vix audebat. Verumtamen eum secutus est, sed invito animo; statim enim monstrum illud cornutum oculis illius se obtulit. Jam vero illi non tantum erat audaciae; quippe debilitatum jacebat, ut vix surgere posse videretur, quoniam per triduum pabulo caruerat. Cujus rei causam quum Crusoëus intelligeret, ante omnia curavit ut bestiam fame fere consumptam pabulo recrearet. Deinde singulis navis cubiculis perlustratis, multa passim conspexit quae, apud Europæanos neglecta, ipsi nunc maximi erant pretii. Cados nimirum integros invenit plenos panis nautici, oryzæ, farinæ, frumenti, vini, pulveris nitrati, globorumque plumbeorum majoris minorisve formæ, tormenta quoque bellica, sclopeta, gladios, secures, serras, cæla, terrebras, radulas, runcinas, malleos, massas ferri, clavos, cultros, forcipes, acus, ollas præterea, patinas, cochlearia, forcipes, folles, supellectilem culinariam ligneam, ferream, stanneam, cupream; plenas tandem cistas vestimentorum, linteorum, tibialium, calceorum, ocrearum, magnamque aliarum rerum copiam quas viles habemus; sed quanti sint pretii tum demum intelligimus quum desiderantur.

Quæ quidem oīnnia Friday obstupescens intuebatur. Robinson contra incredibili gaudio puerilem in modum singula tractat, subito abjicit, arripitque alia prout visa sunt aliis jucundiora. Placuit demum in carinam interiore descendere. Hanc vero aqua repletam invenit, quoniam ibi navis valde dehiscebat. Jam igitur diu deliberanti quid primum potissimum secum auferret, nunc hæc, nunc illa magis necessaria videntur; itaque saepe rejicit quæ modo elegerat, aliaque eligit mox ipsa quoque rejicienda.

Quæ tandem omnium præstantissima ipsi videbantur ea

seligit: cadum pulveris nitrati plenum, cum arcula plumbearum glandium; duo etiam paria sclopetorum manualium, duos gladios bellicos, duos venaticos; duplice vestimentorum apparatum a capite usque ad calces, unum sibi, alterum socio; viginti quatuor indusia; duas secures, serras, runcinas; ferri massas, malleos, nonnullaque alia instrumenta; quosdam libros, chartæ scriptoriæ copiam, cum atramento et calamis; pyrothecam cum igniario et silicibus; cadum pane nautico repletum; carbasi mediocrem copiam; capram.

Quum jam mare redire cœpisset, uterque ad ratem descendit, et postquam eam solverunt, leniter aqua accedente ad litus delati, opes servatas in terram deportare properant. Tum Friday valde gestit discere qui ex his omnibus usus aut quæ commoditas percipi posset. Cujus ut cognoscendi cupiditatem expleat dominus post dumetum se recipit, et tunicam vestemque præfecti cum calceis et tibialibus induit; tum gladio cinctus pileoque ornatus subito progreditur atque ante oculos socii obstupescens consistit. Ille attonitus aliquantulum recessit, primo aspectu incertus dominumne an alium quemquam domino majorem consiperet. Hic attonito subridet, manuque blande porrecta, eundem profitetur se amicum ei semper esse, veste et fortuna quamvis mutatis. Tum depromptas remigis vestes eum docet rite induere atque imperat ut se quoque vestiat. Multum quidem temporis in se vestiendo Friday consumpsit; quippe qui illa sibi aptandi omnino rudis esset. Tunicam videlicet ita induit, ut pedes manicis immitteret; eodem modo braccis usus est, pedes enim in partes inferiores inserere conatur, tunicamque in dorso connectere. Sensim errorem intellectum ita emendavit ut tandem, saepius frustra conatus, omnia ista vestimenta recte induere didicisset. Illa vero maxime laudavit quod ipsum egregie contra *musquitonum* morsus defenserent. Calceos solos vituperavit, qui parum commoditatis habere videbantur.

---

Jam illi dominus demonstrat quemadmodum utendum sit securi ceterisque instrumentis; et confessim securis experimentum fecerunt, malumque rati idoneum aptaverunt quam velo in posterum instruerent. Quod quidem opus Robinson se solum perfecturum spondet, sociumque ad lanam mulgendam mittit; hoc enim per biduum neglexerant.

Absente Friday, Robinson selopetum parat, ut amico ostendat quanta sit vis pulveris nitrati, simulque ei admirationem moveat; quo regresso, atque Robinsonis in opere perficiendo celeritatem admirante, hic faleonem marinum conspicit, tunc pisce rapto avolantem. Arrepto statim selopeto hoc modo exclamat: “ecce mi Friday! istum dejiciam”. Quibus vix dictis, subito fragore intonat selopetum alesque ex aere in terram exanimis decidit. Quo viso auditoque Friday in terram procidit quasi ipse vulneratus; repente enim vetus de Toupane seu deo tonante opinio ejus animum subiit, dominumque in hac animi perturbatione Toupanem esse existimavit.

## CAPUT VICESIMUM SECUNDUM

*Adsunt ! Adsunt !—Arma inter socios dividuntur—Paratur bellum—Duo viri adversus quinquaginta—Victoris clementia.*

Hæc inter sex menses effluxere, nec Friday ullam denuo de patria repetenda mentionem domino habuerat. Sæpius autem, confecto labore, montem concendere solebat unde insulam prospectaret in qua natus erat. Ibi moratus sedebat, et lugebat quod a patre in perpetuum disjunctus esse videretur. Et ipse dominus de hoc itinere tacebat; quippe qui nou posset amici votis prius obsecundare quam cuncta ad novum vivendi genus fuissent disposita.

Nunc autem absolutis rebus maxime necessariis, Crusoëus primus auctor fuit parandæ denuo navis ad socii patrem arcessendum. Quibus auditis magno Friday gaudio affectus est.

Forte postea Robinson socium ad litus misit ut testudinem quæreret; diu enim grato hoc cibo caruerant. Ille autem brevi regressus, anhelitus inter et trepidationem hæc sola proferre potuit: “adsunt ! adsunt !” Territus ipse dominus interrogat quisnam adsit: “O domine ! una, duæ, tres, sex scaphæ :” numeros scilicet inter tres et sex, propter exanimationem reminisci non potuit.

Ille quam velocissime collem statim concendit, neque sine formidine agnoscit Friday non erravisse; ipse enim numerat sex scaphas barbaris onustas qui appellere litori conabantur.

Tum celeriter descendit, sociique animo confirmato, interrogat an fideliter et strenue cum ipso stare velit, si cum barbaris sit decertandum.

Cui Friday “Vita mea tibi est” respondit. Quae quum audiisset, “Age ergo,” ait Crusoëus, “barbari isti inhumana nunquam hic consilia exequentur. Quae constituerim ego tibi inter eundum exponam; nunc non loquendi, sed agendi tempus est.”

Tum unum e tormentis rotis fultum e vallo deducit; sex sclopeta majora, quatuor minora, cum duobus gladiis profert. Uterque duobus sclopeticis manualibus gladioque cingulum instruit; tria sclopeta majora humero imponit, et ad tormentum trahendum connititur. Abundabant præterea globis plumbeis majoribus minoribusque, et pulvere nitrato, quibus apparati fortiter ad bellum progrediuntur. Paullulum progressi tandem consistunt. Tum Crusoëus ibi socio omne belli consilium hoc modo exposuit. “Montem circum, atque per densissimam silvam ibimus, ne ab hostibus conspiciamur. Tum in arbustis densis ad litus fere procurrentibus ad eos propius accedemus; quum venerimus intra teli jactum, subito tormentum plumbeum globum et fragorem effundet, quo barbari, credo equidem, territi, relicta præda, in scaphas confugient.” Tum commilitoni manum porrigit, et uterque se fortissimi militis officio functurum pollicetur.

Interim tacito gressu usque ad extremam dumetorum partem pervenient. Robinson ad comitis aurem insusurrat, ut quam cautissime post magnam quandam arborem adrepat redeatque sibi nuntiaturus num hostes inde conspici possint. Friday reversus nuntiat facillime illos conspici posse, ignem circumsidentes, ossaque alterius captivi jam mactati assa rodentes; alterum non procul ab illis vinctum jacere; hunc ex albo genere hominum esse videri, et pari neci sine dubio destinatum.

Tum Crusoëus post arborem collocatus, porrecto *tubo optico* quem e nave servatum secum apportaverat, ea quæ Friday rettulerat ipse vera esse deprehendit. Quinquaginta circiter anthropophagi apud ignem consederant; captivum vero jacentem Europæum esse facile agnovit. Quibus visis exarsit, sanguis fervet, pectus aestuat. Si tamen primum hunc animi motum sequeretur, temere impetu facto multum effunderet sanguinis; novit enim rationem cæca animi perturbatione vinci nunquam oportere; itaque se quamvis indignatum sustinet.

Ad eam deinde partem dumetorum progressus quæ longius excurrebat, hiatum mediocrem e longinquo vix conspiciendum animadvertisit. Collocatum ibi tormentum ita dirigit, ut globus super capita barbarorum emissus neminem laedat. Deinde socio tacite significat ut ipsum in omnibus imitetur invicem quæ agentem viderit. Quo facto, duo sclopeta ponit humi, tertium manu tenet; quod Friday imitatus est. Tum funem incendiarium rimulæ tormenti admovet. Ignem pulvis concipit, globus ejicitur. Fragore auditio, barbari e cespitibus ad terram procidunt quasi omnes una occisi; Robinson interea et socius in exitum rei intenti erectique, ad pugnam, si necesse foret, cetera parant. Mox barbari terrore quo primum percussi sunt parumper sedato, in pedes se erigunt. Pavidiores ad scaphas profugiunt, fortiores arma capiunt. Qui quidem, solo tormenti fragore exterriti, neque ignem neque globum viderant; itaque eis formido expectatione Robinsonis minor fuit. Quum autem nihil circumspicientibus visum sit quo terrentur, animum statim receperunt. Fugientes quoque revertuntur, cuncti horrendum clamorem edunt, atque sævissimo vultu gestuque arma vibrant et chorū bellicum instaurant.

Crusoëus paululum hæret incertus, donec choro finis fiat. Sed postquam vidit barbaros iterum considere duosque mitti qui Europæum adducerent mactandum, tum diutius iram

cohibere non potuit. Itaque sic præcipit socio voce submissa: “tu ad dextram, ego ad sinistram. Deus nos adjuvet!” His dictis, e sclopeto globum emittit; idem facit Friday, qui melius domino collineaverat. In sinistra enim parte quinque, in dextra tres tantum prociderunt. Ex quibus octo, tres interfecti, quinque vulnerati modo erant. Mira jam celeritate omnes qui incolumes erant fugam corripuere. Alii alia in loca aufugientes immanem edunt ejulatum. Robinson nunc prorumpere gestit, ut fugientes persequatur miserumque Europaeum vinculis liberet; sed obstupuit sane, quum nonnullos fugientium rursus concurrere et se ad pugnandum parare vidisset. Itaque quam celerrime alterum sclopetur arripit. Item Friday; amboque suo quisque sclopeto utuntur. Hic duo tantum occubuerunt barbari. Nonnulli tamen vulnerati, clamantes atque ululantes, amentium instar, discurrunt; alii cruenti, alii vehementer læsi. Ex istis non multo post tres etiam semi-animes procidunt. Tum Crusoëus “agedum!” inquit. Tum sclopetur abjicit vacuatum, ut tertium repletum arripiat. “Prorumpamus!” Hoc dicto, et facto impetu, ambo in campum ruunt, et Crusoëus ad captivum provolat. Dum autem ad illum accedit, nonnullos barbarorum fugientium animadvertis gradum sistere atque ad pugnam se componere. Hoc Robinson socio innuit. Qui quidem, signo intellecto, propius accessit, sclopetoque unum ex illis prostravit. Interim Robinson cultro vincula secuerat quibus captivi manus pedesque constricti erant. Tum Anglo sermone interrogat, quisnam sit. Captivus Latine respondet se Christianum et Hispanum esse. Cui quum Robinson sclopetur manuarium gladiumque porrigat, ut ad pugnam dirimendam ipse auxilio sit Hispanus vix sclopetur gladiumque accepit, quum furore percitus et recentiore ira, in barbaros impetum facit, et dum cæteri ad scaphas se recipiunt, nonnullos cunctantes cædit. Jamque illi velis remisque aufugere.

Jam noster Crusoëus, ut erat mitis vir animi campum circumiit, si forte cuiquam barbarorum adhuc spirantium posset succurrere. Plurimi autem expiraverant; ceterique, inter manus ejus vinum vulneribus instillantis, animam efflant. Viginti barbari mortui erant, nec vulneratus quidem victor alteruter fuerat.

## CAPUT VICESIMUM TERTIUM

*Friday patrem suum invenit—Concio convocata—Legati missi  
—Institutæ leges—Spelunca—Monstrum.*

ROBINSON cupidus scaphæ quam barbari reliquerant inspicendæ, ad eam accessit, neque sine magna admiratione in illa invenit hominem alium, manibus pedibusque miserabiliter vinctis, mortuo quam vivo similiorem.

Robinson statim solutis ei vinculis, ut eum erigat nititur, qui tamen neque stare, neque loqui poterat; flebiliter potius ingemebat, ratus se nunc ad mortem trahi. Quum ille gente barbarus, non Europæus esset, Robinson socium vocat mortuorum corpora congerentem, ut patrio sermone hominem alloquatur. Vix autem Friday captivum conspexit, quum spectaculum ejusmodi insecum est quod neque Crusoëus neque Hispanus ille sine lacrimis intueri possent. Scilicet Friday subito quasi lymphatus, in captivi amplexus provolare, eum osculari, urgere; clamare, ridere, exsultare, saltare, flere, manus torquere, iterumque exclamare, amentem denique modis omnibus referre. Diu quoque et multum Robinson socium prius interrogavit quam ille hoc unum breviter domino respondisset: “Ecce pater meus!”

Jam vero quibus modis optimus ille juvenis lætitiam pietatemque ostenderit, verbis nemo describere potest. Vicies e scapha in terram, e terra in scapham prosilit. Crusoëus vini aliquantulum quod in lagena reliquum habet, filio tradit,

quo patris membra tumentia foveat. Tum paululum secessit ut Friday liberius sese totum daret lætitiae.

Regressus tandem, interrogat an cibum aliquem patri præbuerit; tum respondenti se minime adhuc de hoc cogitasse, Robinson jentaculum suum statim offert, quod hic patri tradidit. Tum repente e scapha prosiluit, atque ita celeriter procurrit ut jam extra conspectum esset prius quam herus eum posset interrogare. Mox autem reversus est, manu altera urceum aquæ plenum, altera panem caseumque tenens. Illum patri, hunc domino porrigit ut jentaculum quo ille se defraudaverat compensaret. Senex aqua gelida subito recreatus est; quippe qui siti excruciatus in eo erat ut prorsus deficeret.

Jam Robinson ad Hispanum in gramine prostratum languentemque se convertit; istum quoque a socio potu ciboque reficiendum curavit. Tum illum ad scapham deducit in quam (tormento, sclopetis, spoliis, interfectorum oneratam), Friday saltu se dedit; tamque velociter, vento quamvis adverso, eam remis impulit ut Crusoëus navigantis cursum in litore pedibus vix æquaret.

Proximo die Crusoëus comites convocavit, ut rem quæ diutius differri non poterat conjunctis viribus perficerent.

Scilicet verendum erat ne e malignis vaporibus jacentium in campo cadaverum pestis funesta exoriretur. Itaque cuncti, sua quisque instructus securi, convenient, cæsisque lignis, corpora defunctorum Romano more comburunt. Interim Friday patrem suum docuerat quantum gentes bene moratae ab humana carne abhorrerent. Quod quidem mirum seni primo visum est. Filius autem expositis omnibus quæ ipse a domino acceperat, brevi patrem eo adduxit ut morem istum immanem aversaretur. Senem illum *Sunday* propterea Crusoëus appellavit quod die hebdomadis primo, seu “Sunday,” eum servaverat.

Jam ille universos in concionem vocat, in qua Friday iterum interpretis munere, quum erga Hispanum, tum erga senem Sunday functus est. Hispanus primum de aliis loquitur captivis. Tum Crusoëus haec : "O amici, quos Deus socios mihi adjunxit, omnia nunc possidemus quæ ad bene beateque vivendum requiruntur. Sed nunquam equidem his bonis tranquillo animo et quieto frui potero quandiu intellexero alios esse homines qui, quum a natura jus æquum illis fruendi acceperint, inopia tamen et miseria afficiantur. Hoc igitur a vobis peto ut suam quisque sententiam dicat monstretque qua potissimum ratione eos in societatem hujus nostræ conditionis adsciscamus."

Hæc fatus, unumquemque sententiam proferre jubet. Hispanus se vel unum eos, in scapha de hostibus capta, adducatur pollicetur. Sunday profitetur se idem facere paratum. Friday autem censem satius esse patrem suum senem manere, optatque ut sibi liceat Hispano sese addere. Tum nobile patrem inter et filium fuit certamen, utri potissimum contingeret vitæ periculum adire. Itaque Robinson coactus est, ad rem dirimendam, ut sententiam ipse suam diceret, cui omnes laeti obtemperaverunt. Hæc erat, ut Hispanus cum Sunday proficiseretur, Friday autem apud se remaneret. Addidit vero, priusquam ambo illi in viam se conferrent, necesse esse ut, arato agri decies majore spatio, semina sererentur ; aucto enim colonorum numero, victum quoque necessarium augendum esse. Itaque per aliquot hebdomades continuas agricola quisque factus est, operiorumque diligentia feliciter omnia et cito confecta sunt ; cunctisque intra quindecim dies absolutis, constitutum iter paratur.

Sed prius quam proficiseretur, Hispanus probi gratique in Crusoëum animi documentum edidit, quod et prudentiam ejus monstravit. Nam confessus est populares suos, ipsius instar, esse remiges de plebe, rude genus et incultum ; neque

sibi eorum mentem adeo perspectam esse, ut sponsor fiat de illorum fide ac voluntate; itaque se optimum censere, a Robinsone sicut a domino leges constitui, neque quemquam in insulam adducendum esse, nisi prius legibus illis sese obstrinxisset. Quam ob rem Crusoëus, laetus hospitis fide, ejus consilio obsecutus est. His autem verbis leges scriptæ sunt.

“Quicumque in insula vivere, atque in partem commodatum quas illa præbet admitti cupit, eum oportet :

“Voluntati domini illius insulæ in omnibus obedire, cunctisque institutis, quæ ille ad salutem communem civium promovendam præceperit, obtemperare.

“Vitam agere in labore, temperantia, honestate; nemo enim in hac insula vitam deget qui aut ignaviae, aut luxuria, aut ulli turpitudinis generi se dederit.

“Abstinere ab omni rixa; si quis autem injuriam acceperit, in propria causa judex ipse ne fuerit, sed eam aut ad insulæ dominum deferet, aut ad eum qui judex ab illo constitutus fuerit.

“Omnes labores ad communem utilitatem necessarios libenter suscipere, et si res postulabit, domino, vel cum vitæ discrimine, opem ferre.

“Si quis ullam ex his legibus æquissimis violare ausus fuerit, ceteri consentientes aut eum cogent ut pareat, aut ex insula in perpetuum ejicient.

“Neminem vero non hortamur ut has conditiones serio perpendat, nomenque ne subscriperit, nisi prius statuerit illis quam studiosissime obtemperare.

“Robinson Crusoëus.”

Has leges scriptas Hispanus in vernaculum sermonem vertit. Quo facto, ille et calamis et atraimento instruitur, ut populares sui antea nomina legibus propositis subscrivant quam proficiscantur. Tum viaticis scaphæ impositis, magna cum pietate valedicunt Robinsoni socioque et vela faciunt.

His peractis, Crusoëus, comite Friday, forte venaturus in itinere non longe processerat, quum canis stetit latrans ad imam rupem arbustis consitam. Accedunt ambo propius hiatumque in rupe vident adeo arctum ut irreperere, neque tamen ingredi possent. Crusoëus socium tentare jussit num per hiatum istum posset se immittere.

Qui caput quum vix admovisset, horrendo clamore retraxit, tum Robinsonis admonitione ne audita quidem, amantis instar aufugit. Ille tandem eum assecutus causam fugæ rogat: “Heu ! heu !” respondit Friday, “fugiamus ! monstrum horrendum vidi, ingens, ardentibus oculis, faucibus tantis ut nos ambo simul absorbere possit.” Cui dominus: “Ehem !” inquit, “fauces satis amplas dicis ; attamen ipse rem explorabo.” “O domine,” (hæc exclamat servus, domino ad pedes provolutus), “per te Deum obsecro ; noli hoc facere ; te monstrum iliud deglutiet ; tum miser Friday domino orbatus erit.” Robinson subridens interrogat, an ipse ab illo devoratus fuerit. Qui quum obmutesceret, dominum jussit festinare, ut lampadem accensam peteret. Ipse ad speluncam reversus sclopeto armatus, ad ostium se collocat.

Interea Friday cum lampade redit, dominumque iteratis precibus orat ne morti certæ ultro se objiciat ; ille autem qui re deliberata timoris expers erat, hortatur socium ut animo confidat. Tum lampadem sinistra, sclopeturum dextra tenens, monstro fortiter obvius fertur. Capite vix immisso, ad dubiam lampadis lucem ipse quoque aliquid conspicatus est quod sibi horrorem incussit ; neque adeo tamen aufugere voluit ; sed admota propius lampade, perspexit nihil illud esse nisi lamam ætate fractum et senio mox interitum.

Quum igitur Robinson circumspiciendo nihil deprehendisset præter animal illud minime timendum, vocato ad se Friday, penitus in speluncam irrepst. Hic etsi vehementer trepi-

dabat, non potuit dominum ducem non sequi, neque ibi sine admiratione vidit quantopere propter ipsius terrorem monstrum in majus crevisset.

Quum jam lama in eo esset ut ageret animam, Robinson illum ex antro amovet quem, quum expiraverit, terra obruat. Mox loco explorato antrum satis amplum et jucundum inveniunt. Ex quo magnam in posterum utilitatem se capturos sperabant; hoc enim statim Robinson elegit domicilio ubi, fervidissimo solis aestu, frigus captaret. Itaque missus est Friday ut instrumenta afferret; quorum ope cœperunt ostium antri amplificare; atque hoc opere tempus non sine jucunditate consumpserunt.

## CAPUT VICESIMUM QUARTUM

*Navis anglica appulsa ad insulam—Quo casu—Magna Cru-  
soëi in præfectum merita—Spes liberationis.*

INTEREA accidit ut Hispanus et Sunday octo jam dies afuissent necdum rediissent. Friday sæpiissime nunc ad montem procurrebat, nec tamen, quamvis intentis intueretur oculis, quidquam conspiciebat. Forte tandem quum Crusoëus domi versabatur, ecce subito redit ille ac procul: “adveniunt!” inquit, “adveniunt!” Hoc nuntio lætus, dominus ad collem properat. Inde e longinquo scapham ad insulam tendentem prospicit. Sed incertum se esse profitetur num hæc esset ea quam speravissent. Friday expalluit; Robinson iterum speculatur. Scilicet Europæana erat navicula albique homines in ea armati. Extemplo socii alium collem condescendunt, certiora visuri. Quantus vero fuit stupor cernentium navem ingentem Anglicam, ad ancoram consistentem.

Tum Robinsonis animus admiratione, metu, lætitia, invicem afficitur. Hinc enim gaudet spe liberationis, inde vero stupet metuitque, quod in dubio esset quo consilio navis ista hoc appulisset. Itaque veritus ne piratæ essent, in colle arboribus virgultisque consito se sociumque collocat in speculis. Inde cernunt scapham undecim hominibus oneratam ad litus appellere, quorum octo armati erant, tres reliqui inermes vinctique. Hi quidem vix in litore expositi vinculis soluti sunt. Unus ex illis misericordiam armatorum implorabat.

Reliqui duo manibus sublatis a Deo auxilium et salutem petere videbantur. Quibus conspectis, Crusoëus perturbatus et anceps consilii stetit. At brevi non sine horrore videt non-nulos nautarum strictis gladiis necem captivo intentare, ac deinde tribus captivis relictis proximum nemus petere. Illi interea sedebant mœsto dejectoque vultu, incerti quid deinde futurum esset. Tum Crusoëus, eujus in mentem alienis malis propria revocabantur, miseris istis hominibus vel suae vitæ periculo opem ferre statuit. Igitur Friday jubetur sclopeta, gladios, apparatum tormentarium quam celerime afferre; ipse remanere satins duxit, speculaturus quæ sequerentur. Cunctis igitur ad pugnandum paratis, magno cum gudio nostri animadvertunt nautas vagatos in umbra passim recubare ut somno, diei fervidissimo tempore, indulgerent. Tum Robinson, quum paululum expectasset, animo audaci ad miseros illos accedit. Qui quum aversi sederent, attoniti stupuerunt, audita voce subito hæc clamantis: “Quinam viri estis?” At illi exsilire, fugamque parare. Crusoëus Anglico sermone hortatur ne timeant; se servatorem adesse, et de patria, de malis, et quid opis ipse ferre posset interrogat. Cui “Geroniani sumus,” respondet unus qui Anglicam linguam intelligebat. “Nautæ mei, conjuratione facta, navi mea potiti sunt. Primo statuerant me cum viris istis bonis interficere; tandem vitam deprecantibus concesserunt. Vita autem in hac insula deserta, inopia et miseria perituris, ipsa morte acerbior est.” “Ego vos,” huic Crusoëus respondit, “e rebus his tam miseris expediam, vel ipsius capitis mei periculo; sed duplici lege: scilicet ut tu, dum hic habites, cum tuis mihi pareas; deinde ut, si navem tuam tibi restituere mihi contigerit, me meosque in Angliam revehas”. Quæ quum præfectus promisisset, tum sclopeto unumquemque gladioque armavit, ea tamen conditione ne quis iis ante uteretur quam ipse jussisset. “In scelestos istos homines,” addit ille, “somno nunc sopitos et

passim jacentes invademus; sed ita ut minime cruenta victoria sit."

Tum illi toti ab luctu versi in iram, ducem secuti sunt, et Friday secum ferebat laqueos quibus ligati fuerant. Jam ad proximum accedunt, in faciem prostratum et somno tam alto oppressum ut, manibus pedibusque vincitis, os ei prius obstruxerint quam penitus experrectus sit. Manibus tum a tergo revinctis, immotum eum manere jubent; minati se eum, si vel minimam vocem edat certe jugulaturos esse. Quo facto, ad alterum properant, quem ligatum pariter eadem minati supinum collocant. Et jam sex in vinculis erant, quum postremi duo subito experrecti surgunt et arma corripiunt. "O scelesti," (ita exclamat Robinson), "cernite socios, arma abjicite! peribit qui cunctatus erit." Hæc cum intonuisset illi gladiis abjectis in genua se prosternere, supplicesque delicti veniam a præfecto petere. Atque his etiam manus nodis implicantur. Tum Crusoëus jubet universos in speluncam contrudi, ostioque validis arborum ramis obstructo, mandat custodi ut interficiatur si quis claustrum conetur per rumpere.

Deinde socii facto agmine ad scapham se conferunt quam vectibus admotis in siccum protrahunt, et carinam deinde perforant. Sub horam post meridiem tertiam, tormenti fragore tentant ut nautas ex insula revocent. Quo signo ter repetito quum nemo rediisset, altera scapha e navi profecta est ad insulam. Tunc Crusoëus cum sociis in collem se recipit. Scapha appulsa, nautæ ad priorem currunt quam cernunt in sicco perforatam. Confestim circumspicere, socios nomine vocare, neque tamen quisquam fuit qui responderet. Illi decem numero erant, armati omnes. Robinson qui ex præfecto acceperat inter captivos tres esse qui non nisi metu coacti venissent in sceleris societatem, Friday gubernatoremque ad eos mittit; quumque illi veniam orassent impetrassent-

que, armis redditis, eos quæ ipse præcepturus sit sedulo exequi jubet.

Interim qui primi advecti fuerant clamorem sustulere. Redditur et major a Crusoëi commilitonibus ; hoc enim modo ille jusserat ut advenæ in nemora allicerentur. Illi scilicet voce respondentium vix audita, sparsi hinc inde per silvas vagantur. Sed nullo reperto, quum jam advesperasceret, ad scapham redibant, cursu et vano errore fessi. Atque ut quisque occurrit excipitur ab insidiantibus, quorum in manus captivi sex inciderunt. Quum quatuor alii reverterentur, mittitur ad hos quidam nautarum in gratiam receptorum, interrogaturus an sponte armis abjectis se submittere velint ; ni facerent, insulae procuratorem, triginta abhinc passibus, quinquaginta milites ex arce eduxisse qui ipsos cæderent. Tum Robinson armorum strepitum una omnes edere jussit ad verba legati confirmando. Itaque illi non vi sed arte vincuntur. Mox quidam ex iis hæc rogat : “ An vero delicti veniam impetraturi sumus ? ” Cui præfectus in virgultis latens sic acclamavit : “ Vocem meam agnoscis, Thoma Smith ! Si illico arma e manibus ceciderint, vitam omnes habebitis, Atkins excepto ”. (Ille enim seditionis concitor fuerat.) Tum universi statim arma abjicere. Atkins ipse præfectum obtestatur ut sibi parcat ignoscatque ; commune enim esse omnium scelus. Præfectus respondet, se (quod unum posset), procuratoris eum clementiæ commendaturum.

Quo facto, Friday cum nautis ad illos vinciendos mittitur. Jam Crusoëus, qui procuratoris personam sustinebat, cum præfecto accessit. Hic autem de captivis eos elegit quibus tales esse mores noverat ut ipsos sceleris commissi vere pœniteret ; hi ad arcem, ceteri ad speluncam ducuntur. Ex iis qui in autrum antea conjecti erant duos etiam adduci jussit, de quibus quoque bene sperabat. Quomodo autem cum illis egerit et quæ postea acciderint, mox narrabimus.

## CAPUT VICESIMUM QUINTUM

*Fundata colonia—Crusoëus relinquit insulam—Quod accidit  
in patriam redeunti—Quomodo vitam deinde honestam et  
beatam degit.*

QUIBUS ignotum fuerat, hi ante arcem collecti decem erant. Crusoëus hæc profitetur: ea lege ipsos seditionis veniam impetraturos ut præfectum legitimum in recuperanda nave adjuvent. Quæ sententia etiam captivis denuntiatur. Tum captivis simul et liberis una colloquendi copia data est, ut sese mutuo in fide servanda confirmarent, quum hæc sola sontibus salutis via pateret. Interim fabro lignario mandatur ut alterius scaphæ perforatæ carinam reficiat. Tum altera præfecto, altera gubernatori traditur, nautis inter utrumque divisis, cunctique apparatu bellico instructi vela faciunt.

Crusoëus, cuius fortuna ex eventu hujus incepti pendebat, tanta animi perturbatione et sollicitudine agitabatur, ut stare ibi nesciret; nunc in spelunca sedere, nunc in collem ascendere, et quia noctu oculorum deficiebat usus, auribus captare si quid forte e nave audiret. Augebatur enim sollicitudo expectatione signi de quo inter eos convenerat. Triplex scilicet fragor ille nondum auditus erat, media jam nocte ingruevit.

Et jam spes omnis abierat, quum e longinquò subito sonitus fit. Crusoëus quasi e somno repente excitatus, aures erigit. Sequitur alter fragor et deinde tertius. Nunc constat nave in

esse expugnatam, nunc certo in Europam prefecturus est. Tum amens lætitia devolare, socium in gramine recubantem excitare, amplecti, deinde ad arcem currere, sarcinasque raptim colligere. Die nondum exorto, ad collem rursus properat, eoque ubi navis in ancoris consistebat oculos intendit. Brevi conspicit præfectum navis, qui collem non nullis comitantibus descendit. Robinson uno impetu ejus in amplexus provolat. Tum præfectus narrat se nave feliciter admodum potitum esse, occiso nullo neque vulnerato quidem; obscura enim nocte ita evenisse, ut neque agnosceretur ipse, neque comites a nave prohiberentur. Turbulentissimos seditionis auctores sibi quidem obstitisse, sed captos in vincula fuisse conjectos. His dictis, eibos quosdam lauiores e nave afferri jubet, lætique omnes jucundissimo convivio recreati sunt.

Deinde præfectus Crusoëum rogavit quidnam nunc sibi faciendum mandaret, quo ipsi gratiam persolveret. Huic ille “præter hesterna promissa” ait, “hæc tria te rogabo. Primum quidem ut hic commoreris, donec pater socii mei redierit; tum ut me meosque in nave excipias; denique ut seditionis auctoribus veniam des. Hæc sola delicti pena sit ut in hac insula deserantur.”

Præfectus hæc pacta servaturum se pollicitus, captivos adduci jubet, pessimisque eorum designatis pœnam irrogatam denuntiat; neque illi sine lætitia hoc audierunt, consciæ quippe tanti admissi facinoris. Crusoëus eos mox docuit quomodo victus petendus esset, illisque res suas omnes relicturum se promisit.

Dum noster hæc loquitur, Friday magno cursu anhelans nuntiat patrem cum Hispanis advenisse. Cuncti igitur illis obviam properant. Friday ceteros prægressus in amplexus patris præcurrerat. Crusoëus non sine admiratione duas mulieres inter advenas conspexit; Sundayque interrogatus

docet uxores esse duorum Hispanorum, quas illi in ipsa regione duxerant. Hi vero ubi audissent Robinsonem mox profecturum, nonnullosque remiges in insula relicturum esse, rogaverunt ut sibi quoque liceret in ea remanere; se enim omnibus auditis quæ alii memoraverant jucundiorem illa sibi sedem non optare. Quibus precibus ille libentissime annuit; gaudebat imprimis quod duos hic spectata probitate viros reliturus esset. Sperabat enim fore ut eorum opera et exemplo ceteri ad bonam frugem reducerentur. Hac mente alias omnes eorum auctoritati subjicere constituit.

Itaque universos arcessi jubet; sex Angli erant et duo Hispani cum uxoribus. Quibus convocatis suam Crusoeūs his verbis voluntatem declaravit: "Neminem fore spero, qui mihi jus deneget de rebus meis, hac quidem iusula cum omnibus quæ in ea sunt, arbitrio meo statuendi. Opto autem ut omnium eujusque vestrum qui hic remansuri estis conditio sit beatissima; quam ob rem vobis certas leges non habentibus meum est instituere, vestrum autem sequi.

"Hæc igitur accipite.

"Hos ambo Hispanos ego meos in insula vicarios constituo. Hi præcipient, vos parebitis. His committo apparatus omnem bellicum, atque instrumenta omnia; ea tamen lege ut illi vobis necessaria præbeant, vos autem cum iis honeste in pace vivatis.

"Principio Deum colite; nulla enim civitas firma, nisi fundamentum sit amor Dei.

"Proxima pietati sit justitia. Jus suum cuique tribuatur; neu cuiquam nocueritis.

"De ceteris ambo Hispani viderint. Illi fines agris assignabunt, juraque, prout res postulabit, et privata et publica statuent.

"Olim fortasse licebit de vobis nuntium accipere; fortasse

me aliquando juvabit extreum in hac insula mihi carissima  
vitæ tempus agere. Væ illi qui interea has leges meas ever-  
terit. Eum ego in cymba impositum fluctibus sævissima  
tempestate agitatis tradam hauriendum." His auditis, assen-  
sere omnes seque obedientes futuros esse polliciti sunt.

Tum noster ea notavit quæ secum aveheret: vestem e  
pellibus a se ipso confectam, cum umbella; hastam propria  
quoque arte perfectam, arcum, securimque siliceam; psittacum,  
canem villosum, lamasque duos; quæ instrumenta, quum esset  
solitarius, fabricaverat. His cunctis in navem translatis,  
secundo spirante vento, proficisci proximo die constituunt.  
Jamque tempus adest. Tum Crusoëus eos qui remansuri  
erant ad concordiam pietatemque sequendam denuo hortatus,  
ultimum vale elamat, et cum comitibus Friday et Sunday  
navem concendit.

Felicissimus ad Hamburgum cursus fuit. Quuni navem  
Crusoëus opportune hic invenisset Londinium tendentem, a  
Germanicæ navis præfecto discessit, atque alteram descendere  
properavit. Hæc brevi solvit ancoras. Dulcissima jam Cru-  
soëi patria e longinquo cernitur. Jam in ostium Thamesis  
advenere, quum subito sæva tempestas exoritur navemque  
vi magna in oram conjicit. Tum quidquid valet diligentia,  
quidquid peritia, adhibetur; sed frustra; venti furor, omni  
conatu major, navem abreptam in arenas agit tanta vi ut  
carina disrumperetur. Irruit extemplo in eam ingens aquæ vis,  
adeo ut de salute omnes desperarent; navigantibus vix datur  
copia in scaphas desiliendi ut morti, si fieri possit, se eripiant.

Sic igitur Robinson quum denuo naufragium fecisset, miser  
in portum proximum advenit, neque quidquam servavit præter  
canem qui vectum in scapha dominum natando secutus est,  
et psittacum in humero ejus sedentem. Multis post diebus,  
certior factus est umbellam vestemque pelliceam repertas esse.

Portus ille ad quem appulerat scapha octo millia passuum

a Londinio aberat. Audiit patrem suum senem bona valedutine uti, matrem vero, feminam optimam, obiisse. Quod quidem gravissimo eum dolore affecit. Jam Eboracum profectus, viginti quatuor horarum spatio eo advenit. Quum sequente cane et psittaco humero insidente in terram descendisset, per circumfusam spectantium turbam in hospitium proximum se contulit. Inde nuntio ad patrem misso, curavit ne senex ille optimus filium reducem nimis subito reviseret neu, tantæ non capax lætitiae, mortem occumberet.

Jam filius ipse per plateas satis sibi cognitas ad patrios penates provolat, domumque assecutus in patris gaudio trepidantis amplexus ruit. “Mi pater!” “Mi fili!” hæc tantum ambo eloqui potuerunt. Muti, trepidi, spiritu intercluso, alter alterius e collo pendent, donec vis benigna lacrimarum animum utriusque levavit.

Interea Friday miratur frequentem tectis urbem stupetque inhians innumera rerum miracula quæ nunc undique oculis obversantur. Quorum aspectu satiari non potuit. Ac primo die nullam rem ab alia distinguebat; tanta enim animi perturbatio erat ut hebes oculis et animo esset.

Pater Robinsonis institor erat. Propterea optavit ut filius in mercatura exerceretur, heres patris institutus. Sed filius ad laborem induratus patrem rogavit ut sibi liceret fabrorum tignariorum artem discere. Itaque cum socio tignariorum cujusdam disciplinæ se tradidit, atque brevi uterque in ea arte tantum profecerat ut ipsi magistrorum dignitatem assequerentur. Quo facto, officina communi instituta, amicitiam inter se, summo studiorum voluntatumque consensu, ad extremum vitæ diem coluerunt. Et sic perpetua tranquillitate, sanitate, industria, fortunati ambo vixere ad summam senectutem, posterique libenter retinebunt duorum memoriam hominum, qui ceteris documento erunt quomodo suæ quisque felicitatis artifex esse possit.

## NOTES

## PAGE

- 1 *Ut causas . . . ageret*: plead in the law courts.
- 2 *Recte rationi consentaneus*: consistent with good sense.  
*Vereor ut concedant*: I fear they will not allow.  
*Siquidem . . . constabit*: since it will cost.  
*Conveniat*: inform.
- 3 *Altum tenent*: get into the open sea.  
*Quod quisque . . . dejiceretur*: every one held on to whatever he could grasp, for fear of being washed overboard.  
*Antlias*: the pumps.  
*Tormentorum*: cannon. (In classical Latin of course *tormentum* means merely an engine for hurling missiles.)  
*Infimo . . . tabulato*: the hold.  
*Dolia, mercium sarcinae*: casks, merchandise.
- 4 *Ut saluti suae consuleret*: look after himself.  
*Quocum versaretur*: with whom he could consort.
- 5 *Aureos*: would, at this date, be guineas.  
*Meras nugas*: mere trifles.  
*Vitrum . . . tænias*: glass, necklaces, knives, scissors, hatchets, ribbons.
- 6 *Fretum*: channel.  
*Vento reflante*: the wind being contrary.  
*Tabula nautica*: chart.
- 7 *Vix . . . licet*: there was hardly time.  
*Sacchari vecturam*: cargo of sugar.
- 8 *Deprehensum*: discovered.  
*Sucei . . . guttie*: some drops of juice squeezed from meat.  
*Vernantem copiam*: flourishing abundance.  
*Cæli jucunda temperies*: delightful climate.
- 9 *Retundunt*: repress.  
*Stegam*: deck.

## PAGE

- 9 *Syrtēm*: a quicksand.  
*Palmæ latitudine*: a hand's breadth.
- 11 *Reciprocans*: returning.
- 12 *Tugurium*: hut.  
*Vicem*: fate.  
*Sureculos*: young branches.  
*Ultima*: the last extremity.
- 13 *Miserabili . . . articulo*: wretched crisis.  
*Eodemque*: and also.  
*Instar parietis præruptum*: broken so as to be perpendicular like a wall.
- 14 *Æstuabat*: got very hot.  
*Cubitum ire*: to go to bed.  
*Genualibus*: with his garters.
- 15 *Olei . . . expressi*: oil of sweet almonds.  
*Lini aut cannabis*: flax or cotton.
- 16 *Repetito fustis ictu*: by continual beating with a stick.  
*Septo*: the hedge.
- 17 *Tudiculae*: a mushroom.  
*Aciem euneo similem*: a sharp edge like a wedge.  
*Typis impressum*: printed.  
*Exarata*: cut.
- 18 *Lineis menstruis*: lines marking a month.  
*Virgulae balcarum*: whalebone.  
*Viminibus salignis*: willow osiers.
- 19 *Prævertit*: anticipates.
- 20 *Subrubros*: pinkish.  
*Referrent*: resembled.  
*Tuberculæ*: round lumps.  
*Arisisset*: pleased.  
*Ungue . . . instructus*: provided with a sort of hinder claw.
- 21 *Quatriduum*: of four days' length.  
*Sieibi*: if at any time.  
*Malos citreas*: lemon-trees.  
*Calceamenta tiliariaque*: boots and stockings.  
*Soecos*: shoes or slippers.
- 22 *Veru . . . idoneos*: to carry the spit.  
*Ad hæc quum*: when in addition . . .  
*Ephippiis subjectam*: put under their saddles.

## PAGE

- 23 *Infecit*: seasoned.
- 24 *Cœli tempestas*: weather.  
*Deservierat*: had become less wild.
- 25 *Alere*: keep alive.  
*Coqui . . . functus*: playing the part of a cook.
- 26 *Si suppetant . . . copia*: if a man has an abundant supply of all he desires.
- Cujus . . . conquiescam*: in whose friendship with me I might find repose.
- Maculasque*: meshes.
- Culicesque*: gnats.
- 29 *Muria condientam*: to pickle it with brine.
- Præbuisset*: might have supplied.
- 30 *Identidem omnia expertus*: after repeated tests.  
*Nec constabat*: nor was it clear.
- Intexis ramalibus*: with small branches woven together.
- Fluctibus sese invicem . . . pellentibus*: by the waves chasing one another.
- 31 *Aquis subeuntibus*: when it was high water.
- 32 *Tuberibus solanorum*: potatoes.  
*Temere*: without much reason.
- Quippe quæ*: whereas, it . . .
- 33 *Ut vox fauibus hæreret*: it could make no noise.
- 34 *Subsultantes*: frisking.  
*Coagulato*: eurdled.
- Inseri*: to be grafted.
- 36 *In nudam . . . excurrebat*: extended into a bare plain.
- 37 *Quæ moliebatur consilia*: the plans he was forming.
- 38 *Certiora visurus*: to get more certain information.  
*Rudera*: rubbish.
- Solo ita molli innixum*: rested on ground so rotten.
- 39 *Operariis*: labourers.
- 41 *Culmo*: with thatch.
- 42 *Areficerent*: might be dried.  
*Cacabos catinosque*: saucerpans and dishes.
- Operam . . . navat*: works hard.
- Retractaret*: did over again.
- 43 *Præfigeret*: whieh he might fix on to . . .  
*Alites*: winged.  
*Exactu*: finished.

## PAGE

- 44 *Diffluebant*: were dropping to pieces.
- 45 *Tignum*: a long pole.  
*Voces*: words or expressions.  
*Calceorum et tibialium*: boots and stockings.
- 46 *Incisis . . . trajecit*: he cut holes and drew the thread through.  
*Tunicam braccasque*: coat and breeches.  
*Obsitam*: covered over.
- 47 *Unde . . . redire*: from which they say no one returns.
- 48 *Gradum corripere*: to hasten its coming.
- 49 *Ne intercluderetur*: lest the perspiration should be checked.  
*Bulbum solani fricuum*: a dried potato.
- 50 *Rore madentium*: dripping with dew.
- 51 *Utili . . . liceret*: he could not devote some time to useful occupation.  
*Nec temere*: not unreasonably.  
*Furfure*: from the chaff.
- 52 *Superne*: at the top.  
*Depsendo*: by kneading.
- 54 *Non ita contemendum*: by no means to be despised.  
*Caseos . . . premere*: make cheese.  
*Querendi locus*: reason for complaint.  
*Cum quolibet animante*: any living thing.
- 55 *Triticum*: wheat.  
*Insertas*: which he had planted.  
*Circumcidere*: prune.  
*Scopo*: the target.
- 56 *Objecit sibi*: he charged against himself.
- 58 *Fingeret*: he imagined.  
*Quam sibi videt, etc.*: the shorter the way the better, he thought.  
*Consilii compos*: master of himself.  
*Rusculum*: his country seat.
- 59 *Cuivis ignavo . . . fuisse*: would have been clear to any block-head.  
*Adaequarct solo*: raze to the ground.
- 61 *Cuniculum*: an underground passage, like a rabbit's burrow.  
*Sepositum*: stored.  
*Inconditio*: confused.
- 62 *Neci addictos*: doomed.  
*Prostratum adorti*: setting to work on him when he was on the ground.

## PAGE

- 62 *Siste gradum!* : stop!
- 63 *Intorquet*: lets fly.
- 64 *De medio tolleretur* : should be put out of the way.
- 65 *Expugnatoque* : and having made themselves masters of it.
- Intuentis* : as he watched.
- Hoc facere* : to take the latter course.
- 66 *Quid in spatio . . . interjecto* : what was going on in the space intervening . . .
- Nondum vacaverat* : there had not yet been leisure.
- Laneis* : woolly.
- Regem agere* : play the king.
- 67 *Ea lege* : on this condition.
- Vacaret* : be ready to do.
- Comitatu* : a court, *i.e.*, followers.
- Spectatum* : tested.
- 69 *Helluonum* : gluttons.
- 70 *Sarmentorum* : dry boughs.
- 71 *Zeæ* : wheat.
- Insitus . . . amor* : innate desire for his own safety.
- 72 *Carni . . . assideret* : sit down to turn the meat on a spit.
- Popularibus* : fellow-countrymen.
- Ut . . . vindicaret* : that he bound Friday to himself as a servant by a legal right.
- Quo decreto* : this being decided.
- 73 *Palis* : stakes.
- 74 *Mirum quantum* : it was wonderful how much.
- 75 *Popularium amantior* : more attached to his fellow-countrymen.
- 77 *Non unius* : *i.e.*, more than one.
- 78 *Subactis* : made soft.
- Fila educendi* : of making yarn.
- 79 *Habere . . . rationem* : take account.
- 80 *Terraे continentis* : the continent.
- 81 *Præsentius auxilium* : more prompt help.
- Incitatius* : with greater impetus.
- 84 *Male mulctarent* : would ill use.
- Perspectos* : thoroughly well known.
- 85 *Acie . . . directa* : having turned his gaze eastward.
- 86 *Centies superarc* : was a hundred times bigger.
- Stragulis* : blankets, rugs.
- 87 *Blanditiam* : fawned.

## PAGE

- 89 *Supellectilem*: gear.
- 90 *Cados*: casks.  
*Oryzae*: rice.
- Pulveris nitrati*: gunpowder.
- Globulorum plumbeorum*: bullets.
- Sclopeta*: muskets.
- Cæla*: chisels.
- Terrebras*: gimlets.
- Radulas*: razors.
- Runcinas*: planes.
- Forlices*: scissors.
- Forcipes*: tongs.
- Stanneam, cupream*: of tin and copper.
- Cistas*: chests.
- Ocrearum*: leggings.
- 91 *Sclopetorum manualium*: pistols.
- Venaticos*: for hunting.
- Pyrothecam*: tinder-box.
- Depromptas*: which he had brought out.
- Manicis*: the sleeves.
- 95 *Tubo optico*: a telescope.
- Funem incendiarium*: lighted tow.
- Rimulae*: touch-hole.
- Expectatione Robinsonis*: than what Robinson had expected.
- 96 *Collineaverat*: aimed.
- 98 *Amentem . . . referre*: to be like a madman.
- 100 *Remiges de plebe*: common sailors.
- 103 *Ut ageret animam*: give up the ghost.
- 104 *In speculis*: on the watch.
- 105 *Satius duxit*: thought it better.
- 108 *Una colloquendi*: talking together.  
*Fabro lignario*: carpenter.
- 109 *Irrogatum*: ordained.
- 110 *Duxerant*: married.  
*Ad bonam frugem*: good conduct.
- 111 *Omni conatu*: than all they could try.
- 112 *Frequentem*: crowded.  
*Fabrorum tignariorum*: carpenters.

# LONGMANS' LATIN COURSE.

WITH COPIOUS EXERCISES AND VOCABULARIES.


---

<i>PART I.</i> —Up to and including the Regular Verb, Active and Passive.	iv. + 156 pp.	1/6
Crown 8vo - - - - -		
<i>PART II.</i> —Including Pronouns, Numeral Adjectives, Irregular Verbs, Accusative and Infinitive, Ablative Absolute, Dependent Questions, Dependent Clauses, the Use of the Cases and <i>Oratio Obliqua</i> .	viii. + 248 pp.	2/6
Crown 8vo - - - - -		
<b>LONGMANS' LATIN COURSE. PARTS I. and II.</b> —Complete in One Volume.	viii. + 364 pp.	3/6
Crown 8vo - - - - -		
<i>PART III.</i> —Elementary Latin Prose, with Complete Syntax and Passages for learning by heart. By W. HORTON SPRAGGE, M.A., late Scholar of St. John's College, Cambridge; Assistant Master at the City of London School	- - - - -	3/-
ELEMENTARY LATIN UNSEENS. With Notes and Vocabulary	- - - - -	1/6

---

LONGMANS, GREEN, AND CO.,  
39 PATERNOSTER ROW, LONDON,  
NEW YORK, BOMBAY, AND CALCUTTA.

THE ABERDEEN UNIVERSITY PRESS LIMITED



UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY  
Los Angeles

This book is DUE on the last date stamped below.

Form L9-25m-8, '46 (9852) 444

PR

3403 Goffeaux -  
L34 The story of  
Robinson Crusoe  
in Latin.

UC SOUTHERN REGIONAL LIBRARY FACILITY



AA 000 367 998 2

PR  
3403  
L34

